SENTENTIAS
M. TERENTII VARRONIS
MAJORI EX PARTE
INEDITAS
EX CODICE MS. BIBLIOTHECAE SEMINARII PATAVINI
EDIDIT ET COMMENTARIO ILLUSTRAVIT


D.R VINCENTIUS DEVIT
ACADEMIAE LIPSIENSIS SOCIUS
ATQUE IN SEMINARIO PATAVINO PROFESSOR

ACCEDUNT ALIA VARRONIS EJUSDEM FRAGMENTA ET DUO M. TULLII CICERONIS, NONDUM INTER EA, QUAE VULGO EDUNTUR, DESCRIPTA, ET SPECIMEN QUODDAM OPERIS MORALIS PHILOSOPHIAE VENERABILIS HILDEBERTI, QUOD IN EODEM CODICE HABETUR

PATAVII
TYPIS SEMINARII
MDCCCXLIII

Opus peragunt labor et amor, consilium pariunt cura et vigilia. In labore est, ut agas; in amore, ut perficias; in cura, ut provideas; in vigilia, ut attendas.

Vincent. Bellov. Sp. D. 2. 29.



JOSEPHO FURLANETTO

CLARISSIMO VIRO

VINCENTIUS DEVIT

S. P. D.

In communi tot veterum classicorum operum naufragio etiam minima scriptorum fragmenta maximi habenda esse, jam satis suo in iisdem colligendis labore eruditissimi homines comprobarunt, Tuque in primis, praestantissime Vir, scriptis et exemplo doces. Tu profecto, si quis unquam acerrimo studio atque amore latinos auctores prosecutus fuit, aut maximam in iis evolvendis interpretandisque traxit voluptatem, atque uberrimos fructus tulit, Tu profecto, inquam, ille es. Tu qui in hoc Seminario patavino, cui classicis studiis nihil unquam antiquius fuit, paene a pueritia puriores germanae latinitatis latices veluti a nutrice sic alterum quasi lac suxisti. Tu qui totum tuum tempus latinis sic litteris tribuisti, atque ipsam propemodum vitam, sive classicos auctores ederes, sive

romanae antiquitatis monumentorum interpretem ageres, sive mirandum illud Forcellinianum opus emendares atque expolires, sic iisdem dicatam esse voluisti, ut nemini in hac laude concedas. Quam ob rem sententiarum M. Terentio Varroni adscriptarum libellum, qui ineditus hucusque in Bibliotheca Seminarii nostri latebat, in publicam lucem editurus, pulcherrimum sane factu esse duxi illum prae omnibus ornamentis tuo nomine decorare. Equidem quam sit exiguum hoc sentio, nec tuis in me meritis par; verum si quid in hoc erit audaciae, illud totum singulari tuae humanitati tribuas oportet, qua me tibi ita devinxisti, atque ad classica studia vehementer ita incitasti, ut cum amore latinarum litterarum meum erga te studium quotidie magis ali augerique videatur.

Hoc itaque munus, qualecumque sit, non sibi ipsi, quaeso, sed tanquam illius, quo Te foveo, amoris pignus ita benevole excipias, ut saltem vel ex hoc ipso cognoscas, Te a me plurimum coli, meque tua consuetudine summe gloriari. Vale.

Patavii idib. Januar. anni MDCCCXLIII.

Varronis vel ipsum nomen satis mihi videtur ut, amissis bonarum litterarum damno praestantissimis scriptis plerisque, qualiacumque ejus fragmenta nobis esse debeant quam commendatissima. Quum itaque in codicem incidissem qui plurimas M. Terentii Varronis sententias complectitur, ad illud me totum contuli, ut omnium ejusdem auctoris fragmentorum notitiam nactus, ea si qua essent inedita publici juris facerem. Quum autem aliquas ex iis sententiis jam a pluribus editas cognovissem, id potissimum egi, ut omnibus editionibus cum nostro codice diligenti cura collatis, integrum, prout in eodem codice extat, sententiarum libellum, jam editis distincto charactere exhibitis, divulgarem; adjectis insuper, extra ipsum codicem, paucis illis, quas praeclarissimi recentiorum temporum viri suis in collectionibus addiderunt. Verum ut hoc ordine aliquo fiat, nonnulla tum de illis, qui Varronis sententiarum partem ediderunt, tum de codice nostro aliisque, quibus continentur, historice pertractanda mihi videntur. De illarum autem auctore nihil arbitror praecipiendum, quum jam omnibus notum sit, qualis quantusque vir ille fuerit. Illud tantum hoc loco adjiciam

d Augustini et M. Tullii Ciceronis apud eundem testimonium, ex quo sententiosum scribendi genus ab illo minime alienum fuisse facile colligi possit. Sic igitur Augustinus (*de Civitate Dei* 6. 2.): « Quis M. Varrone » curiosius ista quaesivit? quis invenit doctius? quis » consideravit attentius? quis distinxit acutius? quis dili- » gentius pleniusque conscripsit? qui, tametsi minus est » suavis eloquio, doctrina tamen atque *sententiis* ita re- » fertus est, ut in omni eruditione, quam nos saecula- » rem, illi autem liberalem vocant, studiosum rerum » tantum iste doceat, quantum studiosum verborum Ci- » cero delectat. Denique et ipse Tullius huic tale testi- » monium perhibet, ut in libris Academicis dicat, eam, » quae ibi versatur, disputationem se habuisse cum M. » Varrone, homine, inquit, omnium facile acutissimo, et » sine ulla dubitatione doctissimo. Non ait eloquentis- » simo vel facundissimo, quoniam revera in hac facul- » tate multum impar est, sed omnium, inquit, facile acu- » tissimo. Et in eis libris, id est Academicis, ubi cuncta » dubitanda esse contendit, addidit sine ulla dubitatione » doctissimo (1) ». Hoc posito videamus interea quid senserint eruditissimi illi viri, qui aliquam sententiarum Varronis partem vulgarunt.

(1) Eo libentius hunc Ciceronis locum ex Augustino desumpsi, propterea quia inter fragmenta, quae plurima ejusdem habentur, illum non reperi. Latuit etiam diligentissimum Casparem Orellium in cumulatissima sua M. Tullii Ciceronis operum omnium editione.

Συλλογὴ Barthiana.

Atque inter eos principem locum teneat celeberrimus *Barthius*, qui Varronis sententias numero xviii, *in scheda scripta calamo in membrana non usque adeo veteri invenit, tali tamen quae plus quam uno saeculo artem chalcographicam antecedat* (1). Suum de iis judicium paucis sic aperit: « Haec ego, ut per me perirent, pati » non volui non indigna magnam partem summi scripto» ris auctoritate. Videntur autem excerptae hae senten» tiae ab antiquis magistris, quum Christianismus nihil » nisi Ethicam, ut tunc appellabatur, in scholis proba» ret. . . . . . Non dubitamus autem pleraque esse mu» tatis verbis prolata ».

Jo. Albertus Fabricius in sua Bibliotheca latina easdem sententias ex Barthio repetit, hoc tantum initio monens: *Barthius* (l. c.) *in ms. codice nescio quo, ait, se has reperisse Varronis sententias* (2), et statim illas subjicit.

(1) Casparis Barthii Adversariorum Commentariorum lib. LX. ed. Francofurti 1624. 4.° ex lib. XV. c. 19.

(2) Bibliotheca latina, sive notitia Auctorum veterum latinorum T. II. Venetiis 1728. 8.° ex T. I. lib. I. c. 7. p. 91. et editio Ernesti Lipsiae 1773. 8.° T. I. p. 132. Eaedem sententiae cum notitia litteraria de M. Ter. Varrone ejusdem Fabricii editae fuerunt in Praefatione librorum Varronis de lingua latina Biponti 1788. 8.° p. XXVI. et XXVII.

Συλλογὴ Vincentii Bellovacensis.

Ceterum aliquae Varronis sententiae longe integriores atque auctiores extabant in operibus Vincentii Bellovacensis, qui, regnante Philippo Augusto, Lutetiae litteris operam tribuit; et unus e primis fuit, qui Ordini praedicatorum se adjunxerunt; obiit autem anno 1264. Hic ex sententiarum Varronis libro paucas excerpsit et tanquam specimen dedit in Speculi historialis libro VII. c. 59. (1), ac variis etiam in locis easdem sententias iisdem saepissime verbis repetiit in Speculo doctrinali, ut infra monebimus. De hoc Vincentio pluries occurret sermo: hic tamen non alienum puto verba cl. Orellii in suppl. ad sententias P. Syri etc. p. 50, in fine, referre: « Optandum sane est, ut criticus aliquis diligenter tandem excutiat haec Vincentii opera propter latinorum » scriptorum locos innumerabiles ex codicibus nunc » plerumque deperditis excerptos. Usus est inter alios » Vincentius et Tibullo et Quintiliano, quos saeculo demum decimo quinto e tenebris productos vulgo narrant ». De his a Vincentio allatis sententiis ne ullum quidem verbum apud Barthium.

Συλλογὴ Schneideriana.

Quum autem has sententias a Barthio et Vincentio editas simul contulisset *Jo. Gottlob Schneider*, « non com-

(1) Norimbergae per Antonium Coburgerum 1473. fol. max.

» mittendum putavit, sunt ejus verba, ut diutius in la-» tebris istis et in sterquilinio, quod nauseabundi per-» scrutantur haud multi, abjecti laterent et marcesce-» rent flores prudentiae civilis egregii, si non ex ipsius » Varronis nostri ingenio librisque decerpti, quovis cer-» te alio romano ingenio, ut mihi quidem videtur, non » indigni ». Quare illas edidit ad calcem Varronis ipsius vitae quam conscribendam curavit in Commentariis ad eundem auctorem de Re Rustica (1).

Sententiae porro a Schneidero collectae ex Vincentii operibus numero sunt XLVII., a nobis numero arabico distinctae, quae simul apud Barthium reperiuntur; fatendum tamen est illum non eadem semper diligentia usum fuisse in perquirendis apud Vincentium locis; nam quae minus clarae in Speculo historiali, clariores aliquando occurrunt in doctrinali, et variantes aliquas non omnino spernendas exhibent.

Inter recentiores qui Varronis sententias a Schneidero editas memorant, nominandi sunt cl. *Mayerus* in Romanorum oratorum Fragmentis, ut infra videbimus, et cl. *Schoell*, qui illas ex Varronis operibus ea adhuc tempestate (saeculo nempe XIII.) extantibus ac postmodum deperditis, excerptas fuisse arbitratur (2).

(1) Scriptorum Rei Rusticae veterum latinorum. Lipsiae **1794. 8.° T. I. P. II. p. 240. et seqq.**

(2) **Histoire abrégée de la Littérature romaine T. IV. Paris 1815. 8.° ex T. II. p. 246. Auctor XVII. numerat sententias a Barthio repertas cum Fabricio, Schneider XVIII. primam in duas dividens.**

Συλλογὴ Orelliana.

Celeberrimus *Joannes Conradus Orellius* in suis poetarum veterum latinorum carminibus sententiosis (1) descripsit sententias a Barthio, et Fabricio editas iisdem quidem verbis, sed divise, ut, quae numero xviii. habebantur, essent apud ipsum xxii. Qua de causa autem easdem sententias M. Varroni falso tributas dixerit, equidem non video. Harum quatuor tantum et uncinis clausas ex Orellio anno insequenti *Fridericus Bothe* Publii Syri aliorumque sententiis inseruit; quas etiam ad versus senarios redigere conatus est (2). Statim ac Orellius hoc opus perlegit de supplemento sui cogitavit; variantes itaque collegit ex Bothio et sententiis primum editis decem alias adjecit ex Speculo doctrinali Vincentii Bellovacensis, qua quidem in re adjutus fuit a Caspare Orellio patruele suo. Miror tamen homines, ceteroquin doctissimos atque eruditissimos, latuisse Varronis sententias multo auctiores ex eodem Vincentii Speculo a cl. Schneidero editas fuisse. Insuper fateor me ignorare, unde ipse Caspar hauserit has sententias saeculi quinti vel sexti fuisse foetum; cui quidem opinioni acquiescere prorsus nequeo. En ejus verba: « Dum vastissimum (Vincentii) librum aliud agens percurro,

(1) Lipsiae 1822. p. 74. et 293. et supplementum ejusdem ad carmina indicata, ib. 1824. p. 49. et 50., ubi nota satis longa habetur Casparis Orellii nomine.

(2) Poetarum Latii scenicorum Vol. v. part. poster. Halberstadii 1824. 8.° p. 226. not. ad N. 35. et alibi.

»non sine bona spe de veri Varronis reliquiis ibi con-»ditis omnes colligere statueram, publicique juris fa-»cere: sed simul ac recentioris aevi saeculi quinti vel »sexti, ut opinor, illum esse foetum deprehendi, con-»silium nimiam molestiam frustra mihi creaturum, ne-»minique profuturum statim abjeci. Per hanc tamen oc-»casionem decem Pseudo-Varronis sententias inde pe-»titas hic subjungere juvat, ut constet omnibus quam »inanem operam ludat (intellige hoc dictum de Bothio) »qui in senarios talia redigere conetur». Paulo post vero idem ait: «Barthianae omnes fere in Vincentii Spe-»culo reperiuntur; alias similes ex Proverbiis sapien-»tum saepissime laudat....... Publium Syrum, quan-»tum memini, nusquam ad partes vocat». Ad haec postrema verba adnotare juvabit, verum quidem esse Publium Syrum nusquam nominatim adferri tanquam proverbiorum auctorem; ipsa tamen proverbia, quae a Vincentio allegantur, tanquam Publii Syri vel Senecae nomine in collectionibus mss. pervetustis et in omnibus etiam editionibus reperiri; quod id saltem probare videtur, ejusdem scilicet temporibus, sicuti Proverbiorum sapientum collectio extabat, Varronis quoque sententiarum collectionem aliquam extitisse, eamque suis in operibus Vincentium adhibuisse. Quod si Caspar Orellius sententias Varronis tam rigida censoria virga notat, cur non *similes* ex Proverbiis sapientum, quas nihilominus in sua editione, quin aliquam Vincentii mentionem faceret, ex aliis descripsit? Atque illae profecto sententiae a Vincentio excerptae, potuissent illi variantes lectiones minime spernendas praebere (Cfr. Vincent.

Sp. D. lib. v. c. 168. 169. 170., lib. vi. c. 7. et 10. etc.). Quod porro ad Varronis sententias attinet, eas multo plures, si Vincentii opera perquisisset, in Speculo historiali vidisset, quasque jam collegerat cl. Schneiderus, cujus judicium majoris ponderis mihi quidem esse videtur.

At satis de hoc, veniamus nunc ad codicis nostri descriptionem, qui sententiarum Varronis συλλογὴν duplo majorem continet.

Συλλογὴ sententiarum Varronis
in codice Bibliothecae Seminarii patavini N. 101.

Hic codex, quemadmodum in compendiaria mss. hujusce Bibliothecae codicum descriptione adnotavit diligentissimus *Andreas Coi* eidem praefectus, ad saeculum xiii. pertinet, membranis constat forma oblonga *quarto*, ut vulgo dicitur, foliis lxxxi. in x. *quaterniones* distributis, quinque ad decem foliorum unoquoque, et in origine numeratione carentibus, singula lineis xxii. Recentior manus folia *recto* numeravit, primo et ultimo exceptis. Eadem manus marginem superiorem secundi folii recto signavit numero 1200., qui profecto numerus illum codicum indicat penes possessorem ejusdem. Membrana sex priorum quaternionum optimi est generis, mire servata atque affabre expolita. Reliquorum vero inferioris est generis maculis hinc inde inspersa, atque humiditate aliquantulum foedata. Videntur sex priores quaterniones, etsi eodem tempore exarati, non ejusdem esse manus ac posteriores. Characteres

nihilominus *postillarum*, uti vocant, *commentariorum* aut *adnotationum*, quae in margine habentur, licet auctoris sequioris aevi, unam tamen eandemque manum in omnibus produnt.

Forma characteris in textu cum plurimis litterarum compendiis ad rotundum romanum accedit. Hujusmodi autem litterarum compendia multo frequentiora in mox adductis adnotationibus reperiuntur.

Litterae ab initio capitum, tituli et signa apposita ad eorum capitum finem coloribus rubro et caeruleo depicta sunt. Sic iisdem pariter coloribus pro lubitu scribuntur nomina auctorum, e quibus excerpta sunt loca, quae constituunt opus moralis Philosophiae s. Hildeberti. Prima codicis littera arabicis ornamentis (vulgo *rabeschi*) sistitur decorata cum tribus, ni fallor, pantheris adrepentibus in *campo*, uti ajunt, *aureo* in corpore litterae M, quod fortasse gentilicium aliquod stemma respicit.

Interea quae priores quaterniones a posterioribus distinguunt, non est omittendus atramenti color, qui in his admodum languidus conspicitur, atque insuper negligentia librarii in lineis plumbei lapidis relinquendis, earundemque linearum inaequalitas.

Plura continet hic codex ex variis auctoribus partim excerpta, partim ex integro paene descripta, quae se hoc ordine excipiunt.

1.° *Isagoge ad moralem Philosophiam* a p. 1 ad 45. Hoc opus, etsi sine nomine auctoris in nostro codice, constat tamen esse venerabilis Hildeberti; ac proinde inter ejusdem opera editum fuit Parisiis 1708. fol. a p.

959. ad 998. Quum vero codex noster plurima circa hoc opus animadversione digna praebeat, ad novam comparandam editionem, quoddam ejus specimen exhibebo ad calcem sententiarum Varronis.

2.° *Seneca de quatuor virtutibus* a p. 46. ad 52. Hoc opus quondam Senecae adscriptum, inter illa Martini Dumiensis, dein Bracarensis Episcopi pluries editum fuit: Cfr. Fabric. Bibl. lat. T. I. p. 435. in nota (a); recenter vero sine auctoris nomine inter Senecae excerpta prodiit in collectione Class. Auct. Taurini 1832. Senecae T. IV. p. 425. et seqq.

3.° Inter utrumque opus folium habetur aliena manu exaratum, complectens indicem operis Albertani de Consolatione *per Rubricas*, et quaedam versibus descripta de vitiis capitalibus eorumque prognatis.

4.° *Excerpta ex epistolis Senecae ad Lucilium* a p. 52. retro ad 71., nempe ab epistola L. ad LXXIII. Hae epistolae non eodem, quo in editis, ordine veniunt in hoc codice.

5.° *Proverbia Varronis ad Paxianum* retro a p. 71. ad 75.

6.° *Proverbia Senecae secundum alphabetum* a p. 75. ad finem. Nomine proverbiorum Senecae notissimum jamdiu est venire Publii Syri sententias, quibus aliquae ipsius Senecae intermixtae sunt.

7.° Sequitur in postrema codicis pagina index operum, quae in ipso habentur.

De opusculo Martini Bracarensis, quemadmodum et de excerptis ex Senecae epistolis, deque sententiis tum Senecae ipsius, tum Publii Syri aliorumque antiquorum

scriptorum, nihil addam in praesentiarum, quum habeam in mente ad fidem hujusce codicis, qui plura haud parvi facienda continet, Publii Syri aliorumque poetarum mimicorum textum et sententias variorum denuo recensere ac typis vulgare.

Hisce historice pertractatis, propius accedamus oportet ad Varronianas sententias; atque hic in antecessum mihi ingenue cum celeberrimo Schneidero fatendum est, aliquot locos extare tum in editis (de quibus ille), tum in iis, quae codice nostro habentur, quos non intelligo. Neque hoc ullo modo vitio codicis tribuas velim, qui forte aetatem non bene tulerit, aut non satis distinctis et claris, quoad fieri poterat, characteribus exaratus; sed potius librarii ipsius, qui vel codicem mancum aut lacerum descripsit, vel propria oscitatione ac negligentia quaedam male transcripsit, quaedam vitiata protulit, quaedam etiam omisit; quare factum est, ut plures sententiae vel minus intelligantur, vel ita corruptae sint, ut nec pes nec caput uni reddatur formae.

Has ego nihilominus sententias eo ordine, quo se excipiunt, edendas curavi, ut codicem ipsum ante oculos sisterem. Forte si in posterum alius Varronis codex detegatur easdem sententias complectens, erit qui, iisdem inter se collatis, aliquid eruere possit ad pleniorem earundem intelligentiam.

Et hic pariter monendum puto, nostrum hunc codicem ab editis non tam numero, sed etiam serie ac dispositione sententiarum quam plurimum discrepare. Quid ego praestiterim ad hanc rem, in notulis ad easdem clare indicatum erit, quin hic mihi per singula eundum sit.

Συλλογή sententiarum Varronis
in altero ejusdem Bibliothecae codice.

Praeter hunc codicem alium habet Bibliotheca nostra, quo septendecim Varronis sententiae continentur. Hic codex quamvis recentioris admodum aetatis sit, utpote qui saeculum decimum sextum pertingat, neque aliquid novi suppeditet, tamen ad rem nostram nonnihil facit. Aliquot enim habet variantes lectiones, quae collatae cum editis a Barthio et Vincentio Bellovacensi alium textum, unde fuerat exscriptus, produnt; quod insuper patet ex ordine paulisper immutato et ex collectione ipsa, quae partim constat ex sententiis Barthianis, partim ex illis Bellovacensis. Hae Varronis sententiae habentur p. 95. Nos illas allegabimus apposito numero cod. II. (1)

Συλλογή sententiarum Varronis
alio codice contentarum.

Nuperrime vir egregius Joseph Riva nobilis vicetinus, quicum mihi necessitudo intercedit, codicem alium

(1) Codex hic chartaceus est, et indicatur in serie codicum mss. N. 126. Inter alia plura, quae etiam recentioris aevi hoc in codice habentur (neque enim necessarium puto, ut de superiore fecimus, singula describere), numeranda sunt excerpta quaedam ex Lactantio, Valerio Maximo, Ovidio, Sallustio aliisque, nec non Epistola Ciceronis ad Vatinium, et altera ejusdem supposititia ad Octavianum.

aliquot Varronis sententias complectentem perhumanissime commodavit. Codex hic chartaceus anno 1468. a Carolo Guidono exaratus *de Vitis philosophorum* inscribitur, magnamque habet convenientiam cum opere Diogenis Laërtii de Vitis pariter philosophorum, nisi quod ejus auctor de philosophis tum graecis tum romanis, quibusdam etiam latinis poetis illustrioribus additis, brevius disserit, atque de industria praecipuas illorum sententias vel dicta memorabilia colligit. Hujusmodi collectionum plurima, ut de aliis taceam, et in nostris Bibliothecae Seminarii mss., habemus exempla. In his nonnulli vel proprio vel aliorum usui ex auctorum classicorum operibus flores, ut ipsi vocant, seu sententias et singularia dicta excerpebant, quibus et boni mores informentur, et animus ad optimorum scriptorum studium paulatim pertrahatur: unde factum est, ut innumera illa haberemus Ciceronis, Senecae, P. Syri, Valerii Maximi, Lactantii aliorumque plurimorum excerpta, quae in sexcentis mss. codd. reperiuntur. Inter hos excerptores habendus est auctor codicis hujus, qui *ex libro*, ut ipse tradit, *morali, in quo multa utilia et laudabilia continentur, quem Varro scripsit ad Atheniensem auditorem*, sententias numero XXVI. excerpsit, quae tum in variantibus lectionibus, tum in ordine, quo recensentur, parum discrepant ab editis a Barthio et Vincentio Bellovacensi. Notandum tamen est quod sententiam habet (V. n. 158.) hic codex, qua caret noster primus. Nos illas allegabimus apposito numero cod. III.

De Inscriptione hujus sententiarum libelli.

Inter operum M. Varronis deperditorum fragmenta nullum certe hoc nomine, nempe sententiarum, inscriptum reperire est. Quod quidem satis esset indicio ad statuendum, has sententias libellum aliquem singularem non effecisse, sed ex variis ejusdem operibus excerptas fuisse; atque haec est ferme opinio omnium illorum, qui aliquot Varronis sententias ediderunt. Hujusmodi verò selectiones apud antiquos, ne Romanis quidem exceptis, maximo fuisse in usu adeo luculentis evincitur testimoniis, ut probationis non egeat. Sufficiat tamen notasse, etiam Publii Syri aliorumque sententiarum collectiones, cum quibus haec nostra aliquid commune habere videtur, antiquissimas esse, atque ad tempora Senecae philosophi proxime accedere. Quod si sententiosum scribendi genus a Varrone nostro minime alienum fuit, hinc etiam sententias ex ejus libris excerpi potuisse, facile admodum evinci potest. Quibus autem e libris illae deprömptae fuerint et in unum corpus collectae, parum liquet. Varium est inspicientibus ipsarum argumentum; aliae enim ad philosophiam, aliae ad liberos educandos, complures quoque ad mores atque ad studia liberalia commode referri possunt; quare non ex uno, sed e pluribus emanasse censendum est.

Antiquissimum omnium quod habemus Varronis sententiarum testimonium est illud Vincentii Bellovacensis circa medium fere saeculum decimum tertium, qui postquam praeclarissima d. Augustini et M. Tullii Cicero-

nis verba auctorem nostrum spectantia tulisset, in fine c. 58. lib. VII. Sp. Hist. sic tradit: *Extant igitur sententiae Varronis ad Atheniensem auditorem morales atque notabiles, de quibus has paucas quae sequuntur excerpsi*, et statim titulum subjicit capitis sequentis: *De sententiis Varronis moralibus*.

Ad haec verba adnotat cl. Schneider: « Quod inscri- » ptio Atheniensem auditorem nominat, istud suspicor » errore librarii exscribentis factum esse, qui senten- » tias plures ex libris fortasse pluribus a Varrone ad At- » ticum amicissimum scriptis excerpserat. Ex libro de » educandis liberis translatas esse conjicio postremas » sententias, quae ejusdem argumenti mentionem ha- » bent. Sed judicium penes lectorem esto ». Quidquid porro sit, pro certo tamen haberi potest, hanc Varronis sententiarum collectionem multo ante tempora Vincentii ipsius extitisse, qui illam ut notissimam adhibet, ac saepissime allegat, in Speculo praesertim doctrinali hisce verbis: *Varro in sententiis* (Cfr. 5. 168. *et* 6. 12.), *Varro ad Athen.* et *Varro ad Atheniensem auditorem* (Cfr. 2. *ibid.* 31. *et* 33.), vel etiam: *Varro ubi supra* (Cfr. 2. *ibid.* 37. *et* 41. *et* 43.) etc. Vide etiam quae supra diximus in codice III.

Has insuper sententias Vincentius iisdem fere verbis alibi repetit, sed semper Varronis inscripto nomine, neque harum aliquam usquam, utut quam plurimas atque ideo innumerabiles in Speculis historiali et doctrinali ex classicis auctoribus tum graecis tum latinis descripserit, alieno nomine insignitam vidi, quod pariter et de illis dictum volo sententiis codice nostro contentis;

quas omnes praeterea cum collectionibus, quae hac super re habentur, de industria contuli, non omissis operibus iis, quae Senecae nomine circumferuntur.

Semel tantum memoria dilapsus mihi videtur Vincentius, dum sententiam quandam tanquam Varronis retulit, quae inter Catonis Censorii fragmenta, quod ne Schneider quidem vidit, ex Gellio, ut infra ad n. 159. dicetur, a pluribus affertur, nisi mavis dicere utrumque auctorem eandem sententiam adhibere potuisse. Verum quum haec in codice nostro desideretur, tantum abest ut ex hoc Vincentii errore ejus auctoritas infirmetur, quin potius eidem quam maxima adstruitur.

Scheda Barthii simpliciter habet *M. Varro dixit*, in quo concordat cum codice nostro secundo. Schneider vero suae collectioni hanc praefixit inscriptionem: *Sententiae Varronis*. E contra Orellius hujusce collectionis omnino ignarus ex Barthio tantum et Fabricio, qui ne verbum quidem ad sententiarum auctoritatem infirmandam addunt, sibi reponendum esse arbitratus est: *Sententiae quaedam M. Terentio Varroni falso attributae*. Codex denique noster hunc titulum exhibet: *Incipiunt Proverbia Varronis ad Paxianum*.

Quod Varronis sententias nomine *Proverbiorum* laudet codex noster, nihil mirum nobis esse debet, quum ex *Proverbiis sapientum* saepissime a Vincentio afferantur sententiae, quae inter Publianas reperiuntur. Sic pariter codex noster *Proverbia Senecae* vocat sententias tum P. Syri, tum aliorum; et cel. Desiderius Erasmus (*Chil.* IV. *Cent.* V. n. 6.) jam monuerat omnes fere Publianas sententias Proverbiorum vice, nec injuria, fuisse celebratas.

Difficultas vero maxima est in nomine *Paxiani*. Quum hoc nomen, etsi ὀνομαστικοὺς libros quam plurimos perquisierim, nusquam invenerim, fatendum est, quidnam viri fuerit Paxianus, mihi plane incompertum esse. Saepe cogitavi de librarii errore, sed ita clare repetitur quoque ad ipsius codicis finem in argumentorum indice, ut nullus saltem in litteris error mihi esse videatur. Suspicatus sum etiam, quod alibi aliquando factum fuisse vidimus, ita per errorem scriptum esse loco ad *P. Axianum*, et Axium aliquem intelligi, qui per adoptionem in alienam adscitus fuerit familiam, et Axianus postmodum appellatus. Equidem video M. Axianum memorari a Tullio 15. ad Att. 29., et Q. Axium utriusque et Ciceronis et Varronis perfamiliarem, ad quem extabant Tullii epistolae (Cfr. *Scet. Caes.* 9.), ut patet ex *Varr. R. R.* 3. 2., et *Cic.* 3. *ib.* 15. et 10. *ib.* 11.; Tiro quoque Ciceronis libertus epistolam conscripsit ad Q. Axium familiarem patroni sui, ut ex *Gell.* 7. 3.; denique L. Axium equitem romanum memorat ipse Varro *R. R.* 3. 7. Si quis autem Paxiani nomine auditorem illum Atheniensem intelligeret, ad quem Vincentius tradit suas Varronem scripsisse sententias, vel, ut ego ex codice nostro autumarem, potius intelligeret librum ipsum ad Paxianum missum, ex quo excerptae fuerint sententiae, a vero longius fortasse non aberraret, quamvis quis ultro Paxianus fuerit, ignotum adhuc maneat (1). Quidquid porro sit, nihil tamen

(1) In Varronis fragmentis, quae infra afferemus, memoratur quidam *Actius* (V. n. 171.), ad quem Varro ipse alios de grammaticis rebus libros scripsit. Quinam fuerit hic Actius, mihi in-

ex hoc in medium afferri posse putamus ad earumdem sententiarum auctoritatem labefactandam.

Nos interea *sententiarum* nomen ex editis retinuimus, et ex codice nostro addidimus: *ad Paxianum*, sic inscribentes libellum:

Sententiae M. Terentii Varronis
ad Paxianum (1).

1. Dii essemus, ni moreremur.
2. Expedit vulgo timor mortis.
3. Non est pejus nasci, quam mori.
4. Sed verba saeculo nostro demus.
5. *Cum natura litigat, qui mori grave fert.*
6. *Duplex est malum, quod quum necesse est, moleste ferimus.*
7. Mors nulli nova sed credita, vitam utrinque complectitur.
8. *Mors* senis prima non pejor est ultima.

compertum est. Habuitne hic aliquam cum Axiis mox allatis cognationem?

(1) Sententiae diverso charactere exhibitae constituunt Συλλογὴν Schneiderianam; quae numero romano indicantur, illam Barthii; quae denique arabico, illam nostri codicis.

1. *Incipiunt Proverbia Varronis ad Paxianum Dii essemus, ni moremur*. Sic noster codex, ut monuimus. Illud *moremur* error est librarii pro *moreremur*, quod dedimus.
2. Cfr. n. 111.
4. Aliqua deesse videntur.
5. Hac sententia incipit Συλλογὴ Schneideriana ex Vinc. Bell. Spec. II. 7. 59.

9. *Loquens ut omnes, sentias ut pauci.*

10. Robur est vitae in multam concedere turbam.

11. *In multis contra omnes sapere desipere est,* et averso.

12. Sic flet heres, ut puella nupta viro; utriusque fletus non apparens est risus.

13. (I.) *Ficte referas gratias invite danti.*

14. (II.) *Vix datum, ne putes beneficium, sed praedam.*

15. (III.) *Semel dat qui rogatus, bis qui non rogatus.*

16. (III.) *Extorquere est plus semel rogare.*

17. (IV.) *Turpissimum est in datis foenus sperare, pulcherrimum est data cum foenore reddi.*

9. Schneider habet *loquaris* ex Sp. H. l. c.

11. Codd. II. et III. hac sententia incipiunt, sed carent cum edd. particula illa *et averso,* quae in codice priori tantum habetur. Casp. Orellius hanc edidit in Suppl. 1. c. ex Sp. D. 5: 124., Schneider vero ex Sp. H. l. c.

12. De hac sententia Cfr. n. 212.

13. Incipit Scheda Barthii: *M. Varro dixit: ficte-dante.* Nostri codd. et Schneid. *danti.* Sp. H. l. c. *gratiam.*

14. Barth. *Ne ben. putes.* Cod. I. *Vix ne datum putes.* Cod. II. *Vi datum, ne reputes,* quod aeque probabile. Cod. III. *Vix datum ne reputes.* Schneid. ex Sp. H. l. c. *Vix datum ne putes.* Bothius qui nonnullas Varronis sententias a Barthio editas in senarios versus redigere conatus est, sic hanc proposuit legendam in sua edit. supra citata l. l. ad n. 174.: *Datum vix ne beneficium, sed praedam putes.*

15. Ita Cod. I. Sed Cod. II. et III. cum edd. habent *dedit,* insuper omittunt secundo loco *rogatus.* Schneid. conjungit hanc cum sequenti sententia. Alii dividunt.

16. Cod. II. cum edd. legit: *plus quam semel,* cui concordat Cod. III.

17. Barth. legit: *In mendaciis confidere, pulcherrimum est foe-*

18. *Ex animo dantis censeatur munus magnum* vel parvum.

19. Nec sequi, nec fugere fortunam decet, si modo non magis obsit, quam non noceat.

20. Potentius est imperare fortunae, quam regibus.

21. Vigor bonus regnum maximum est.

22. *Amici divitum paleae sunt circa granum.*

23. (V.) *Vis experiri amicum? calamitosus fias.*

24. (VI.) *Non refert quis, sed quid dicat.*

25. Captiosus de verbis disputator, canis est aerem captans pro praeda.

26. Qui audit, ut auditorum narrator fiat, nunquam fiet par docenti.

27. Precarium habet fundamentum, qui ex alienis pendet.

28. Ad profectum scientiae nil aeque impedit ut diffidentia.

nore datam gratiam reddere. Schneid. ex Sp. H. I. c. *turpiss. est in dat. sper. — cum foenore data reddi.* Codd. nostri concordant. Casp. Orellius ex Sp. D. 5. 50. *Turpissimum est in datis sperare* (quam supplevit ex eod. *ib.* 53. ubi integra legitur), *pulcherrimum autem cum foenore data reddi*, ubi tantum vox *foenus* priori loco desideratur. Cod. III. *turpiss. est in datis mercedem habere.*

18. Omnes praeter codicem nostrum omittunt *vel parvum*. Cod. II. legit *de animo dantis censetur.* Schneid. ex Sp. H. I. c. *censetur.* Item legit Casp. Orellius ex Spec. D. 5. 46. Cod. III. *in animo.*

22. Schneid. habet *grana* ex Sp. D. 6. 7., cui concordat cod. III.

23. Codd. nostri cum reliquis concordant, sed I. perperam habet *fiat*, pro quo legendum esse *fi* statuit Barthius. Cfr. n. 14. paulo supra.

24. Barth. *dicam*, Schneid. *dicat* cum nostris I. et III.

29. Mediocriter noscere aliqua, non noscere est.
30. Eo hodie philosophia producitur, ubi praeclare nobiscum agatur.
31. Si in iis aetatem consumimus exponendis, quibus suae portionem vitae commodabant *restituendis.*
32. Apum mella comedimus, non ipsi facimus.
33. O heredes magnifici, qui nil dictis vel falsa addimus, nulla quia talis melior esset additio.
34. Quam optimam accipimus ad posteros ex nobis vel corruptissima perveniet.
35. Imperfectum est quidquid ad emendationem venit.
36. Puerilis amicitia est quae non praecessit judicium.
37. *Alit concordiam mores ad cohabitantium animos conformare.*
38. (VII.) *Nemo suum putet, quod extra ipsum est.*
39. Nullius est, quod multorum esse potest.

30. Fortasse haec sententia, quae tamen difficultate aliqua laborat, lucem capere potest ex illa *Senecae ep.* 8. « Philosophiae servias oportet, ut ibi contingat vera libertas: non »differtur in diem, qui se illi subjecit: statim circumagi»tur», *h. e.* in libertatem asseritur, manumittitur.

31. Difficultas inest ultimae voci, quae intellectu non ita facilis est in codice ipso; forte conjungenda est haec cum sequenti sententia.

33. Forte conjungenda cum sequenti, ut habeatur eadem metaphora de hereditate, quam falsis additionibus corrumpimus.

37. Schneid. ex Sp. H. l. c. *anim. formare*, cui concordat cod. III, Cod. I. *aliae* pro *alit.* Casp. Orellius ex Sp. D. 5. 44. *Alit autem-firmare*. Sensus clarior fieret, si verba sic disponerentur: τὸ conformare mores ad cohabitantium animos alit concordiam.

38. Codd. nostri cum Barth. *putet.* Schneid. ex Sp. H. l. c. *putat.*

40. *Vir bonus quocumque it, patriam suam secum fert, omnia sua animus ejus custodit.*

41. *Eo vultu dimittendae sunt divitiae, quo accipiendae.*

42. *Vulgus quidquid cum gaudio accepit, cum fletu amittit.*

43. Philosophiae dari, non accommodari oportet tempus. Ipsa est pretiosus (est) Dei cultus.

44. Ex negotio semper otium sumendum est, eo tamen ne ex continua assiduitate necesse sit id deseri.

45. Hic perfecte methodum habet qui . . . . . .

46. Idem est ac repentinus, qui et praeparatus; praeparatis favor, repentinis gratia exhibenda est.

40. Schneid. *Vir bon. patr. suam — fert secum et omnia sua custodit*. Cod. II. omittit *it*, in reliquis concordat cum Schneid. ex Sp. H. l. c., sed ponit ante illam n. 38. Ad hanc Varronis sententiam respexisse videtur Seneca *Cons. ad Helv.* 8. « Adversus ipsam mutationem locorum, detractis ceteris incommodis, quae exilio adhaerent, satis hoc remedii putat Varro doctissimus Romanorum, quod quocumque venimus, eadem rerum natura utendum est. M. Brutus satis hoc putat, quod licet in exilium euntibus virtutes suas ferre secum ».

41. Cod. II. *quo et acceptandae*. Cod. I. concordat cum edd.

42. Schneid. *accipit* ex Sp. H. l. c.

43. Cod. I. habet reapse secundo loco *est*, quod ex praecedenti, ut puto, irrepsit. Forte legendum: *ipsa est pretiosior Dei cultus*: nisi mavis hoc additamentum esse posterioris auctoris.

45. Manca est in fine haec sententia, et in ipso codice lacuna est, licet minima; forte conjungenda est haec cum sequenti.

46. Cod. I. habet *repentinus*, per errorem puto. Pro *qui* primo loco mallem *cui*, si jungenda esset praecedenti.

47. Ex auditis memoriae referas laudem, ex inventis ingenio.

48. *Non tam laudabile est meminisse, quam invenisse; hoc enim alienum est, illud proprii muneris est.* Neutrum sine altero scientem facit.

49. Non in disciplinis *fides est media opinionis et scientiae neutrum attingens.*

50. (VIII.) *Excellentissimum genus docendi est exemplorum subditio.*

51. Conversandi materiam saepe dant definitiones.

52. Nihil illi certum, cui nulla placet sententia.

53. Qui verum per se lucet, sed non nisi disquirenti apparet.

54. *Facilitas intelligentiae veri parit negligentiam.*

48. Cod. II. habet: *hoc non al. est pr. mun.*, et cod. III. *Hoc enim alienum, illud,* etc., omittunt vero cum Schneid. *Neutrum* etc. ex Sp. D. 2. 37., ubi haec illi adnectitur n. 59. Postrema verba tantum in cod. I. habentur.

49. Cod. II. concordat cum Schneid. ex Sp. H. l. c. Cod. I. tantum habet verba: *Non in disciplinis*, quae forte cum ultimis numeri praeced. adnectenda sunt. Profecto aliquod inter utrumque desideratur. Hanc edidit et Casp. Orell. ex Sp. D. 5. 115. sic: *Fides . . . et opin.* — neutram.

50. Cod. II. *Evidentissimum*. Schneid. ex Sp. H. l. c. *elegantissimum*. Barth. concordat cum cod. I. et III. Sp. D. 2. 37. *elucentissimum autem est edocendi.* Sed ib. 6. 54. *elucidissimum aut. ed. gen.* Nota vocabulum illud *subditio*, quod novum est in lingua latina.

52. In cod. I. manifesto errore *placent*.

53. Difficultate laborat haec sententia; forte omittendum *qui*.

54. Codd. nostri cum edd. concordant; cod. I. tamen loco *veri* videtur haberi *vim*, quod σφάλμα sane est.

55. Quod intricavit alieniloquium, imperitis est gravissimum.

56. Id recolunt, id amant, id magnificant, mentiuntur ubi intelligant, gaudent quum sciant, gloriantur quum doceant.

57. *Amator veri non tam spectat* (quid) *qualiter dicatur, quam quid.*

58. Intelligentiam dicti sequitur judicium, dictorum ultimum dicendi qualitas.

59. *Illum elige doctorem, quem magis mireris in suis, quam in alienis.*

60. Aut diligendi sunt doctores, aut non audiendi.

61. Inimicorum dicta negligentur non minus ipsis.

55. *Alieniloquium* ad instar aliorum *breviloquium, maliloquium* et *soliloquium*, novum est in lingua latina. Sensus videtur: gravissimi ponderis est imperitis sermo alienus. Forte conjungenda cum sequenti, ut iidem imperiti hunc sermonem recolant, ament et magnificent, ubi vero se intelligere dicant, mentiantur, etc.

57. Cod. I. per errorem *dicicatur*, sicut etiam illud *quid* uncis inclusum, repetitum puto ab oscitanti librario ex *quid* secundo loco. Cod. II. *dicatur.* Schneid. *dicitur*.

58. Forte haec sententia cum superiori connectenda, ut sit fusior ejusdem explicatio.

59. Hac sententia clauditur Συλλογή codicis secundi, qui legit *eruditorem* cum Sp. D. loco mox citando. Schneid. ex Sp. H. l. c. particulam *in* ante *alienis* inseruit, quam tamen praebet et cod. I. et Sp. D. 2. 37.; insuper Sp. D. 6. 47. cum hac et aliam affert sententiam ex *Senec.* ad *Lucil. ep.* 61. (numerus in editis non respondet): *Illum elige auditorem, quem magis admiraris quum videris, quam quum audieris.*

62. *Omnia nosse impossibile, pauca non laudabile.*

63. *Sunt quaedam quae eradenda sunt ab animo scientis, quae sciendi veri locum occupant.*

64. Incorruptum adolescentem docere unus labor est, corruptum vel duplex vel nil proficiens. *Sapiunt vasa quicquid* (primo) *conceperint. (Sic est et de infantibus).*

65. Contrarie opinari pluribus, nec in omnibus inconveniens, nec in aliquibus est incontingens.

66. *Multum interest utrum rem, an libros inspicias.*

67. Meus est, clamat philosophia, quem res ipsae docuerunt.

62. Schneid. *Nosse est imp.* ex Sp. D. 2. 33., ubi additur *quidem* post vocem *omnia*. Discrepat tamen in dispositione codex noster tum a Schneid. tum a Sp. D. — Prior hujus sententiae pars convenit cum alia Varronis ipsius de *R. R.* 2. 1. *Nemo potest omnia scire.*

63. Schneid. ex Sp. D. 2. 31. *essent ab animo, quae inserendi veri.*

64. In margine codicis nostri habetur manu recentiori *primo*. Schneid. in textum recepit *primum*, quod et habet Sp. D. 2. 41.; porro haec sententia n. 32. apud illum ex parte affertur, et conjungitur cum allata n. 101., et additur ex eodem Sp. post *acceperint* (loco *conceperint*): *sic est de infantibus*, quod convenit cum prima hujus sententiae parte, quae tantum in codice nostro habetur. Sp. D. 6. 12. tamen sejunctim ponit post hanc sententiam sic: *Sapiunt quidem vasa quidquid primum conceperint; sic est et de infantibus.*

65. Illud *incontingens*, quod contingere nequit, novum est vocabulum. Huic simile habemus *incontingibilis*. Cfr. Lex. Forcell. ad h. v.

66. Schneid. ex Sp. D. l. c. *utrum rem ipsam.*, et conjungit cum illa n. 68.

68. *Libri non nisi scientiarum paupercula monimenta sunt. Principia continent inquirendorum, ut ab his negotiandi animus sumat principia.*

69. Nil aliud agens nisi forte idipsum intermittit, ut omittat.

70. (IX.) *Eo tamen studia intermittuntur paululum, ne omittantur.*

71. Incommoda sunt studia, quae non otia exhilarant.

72. Pauca scientibus eadem ipsis taedio sunt.

73. Nihil illi taedio, cui multae vel amplae inquirendorum patent viae.

74. Pulcherrimus locus est assidenti odibile, *gaudet natura varietate.*

68. Differt codex noster ab edd. nonnullorum vocabulorum metathesi. Erratum librarii est illud *inquirendarum* loco *inquirendorum*, quod habent edd., nisi mavis retrahere ad τὸ *scientiarum*.

69. Locus obscurus mihi videtur forte connectendus cum sequenti.

70. Schneid. ex Sp. H. l. c. *Eo tantum studia intermittantur, ne obmittantur.* Sp. D. 2. 33. *Eo vero tantum — omittantur.* Scheda Barthii: *studia tantum*. Schneid. ex Barth. in hunc locum adscivit aliam sententiam, quam in nostro codice habemus conjunctam cum illa n. 74. V. ibi. Speculum vero H. sic affert: *Eo tantum studia intermittantur, non obmittantur; gaudet natura varietate*, cujus postremam sententiae partem vide in n. mox. cit., eo enim ordine recensetur in codice nostro. Cod. denique III. concordat cum Barth., Schneid. et Bellov., nisi quod legit *amittantur* loco *omittantur*, et caret particula *paululum*.

74. Secundam hujus sententiae partem Schneid. conjungit cum n. 70., et sic legit: *gaudent varietate Musae, non otio,*

75. (X.) *Nil magnificum docebit qui ex se ipso nihil didicit.*

76. (X.) *Falso magistri nuncupantur auditorum narratores. Sic audiendi sunt, ut qui rumores recensent.*

77. Magistri dicunt: non deprenditur mentiens in iis, quae nemo novit.

78. Virtutes ex tempore mutant genus.

79. Simplex improbabilium assertio, dementia est, laus infinita probatio (est).

80. Excedere communem omnium vel plurium cognitionem pulcherrimum est, si modo non insanis.

81. Aetates cum earum moribus mutari non minus laudabile, quam honestum.

82. *Tam ridenda est in sene puerilitas, quam obstupenda in puero optimorum morum constantia.*

et in adnotatione dicit: verba *gaudent* — *otio* ex Scheda Barth. adscivi in locum lectionis Bellov. *gaudet natura varietate*, cum qua et cod. III. concordat. V. n. 70.

75. Hanc sententiam sequenti adnectit Schneid. ex Sp. D. 2. 37., et sic variat: *Qui a se nil* — *falsoque,* — *sic igitur audiendi* etc. Barthius concludit verbis: *nihil didicit*. Sp. H. l. c. concordat cum nostro codice, Cod. III. *Nihil magn.* — *qui a se nihil didicit*.

76. V. n. praec. Cod. I. habet *noncupantur*, et manifesto errore *recenses*. Cod. III. concludit sententiam in *narratores*. Schneid. affert ex Sp. H. l. c.

78. Illud *ex tempore* loco *extemplo*. Cfr. hanc vocem in Lex. Forcell. § 4. et 5.

79. Illud *est* uncis inclusi, eo quod dubium sit in codice.

82. Schneid. ex Sp. D. 6. 12. *Sicut ridenda* — *sic obstupescenda*, unde verbum postremum, inquit, adscivi in locum ob-

83. Erit quod omni planum oratione, nulli aperiendum.

84. Nisi quem prudentia docuit res ipsas, consulem negotiari oportet in iis.

85. Si veri mihi vis eluceat, hae res non sunt, quas verborum fecit venustas.

86. In scriptis verum ex proximo sumendum, quum ea ita non explicant.

87. Oderunt multi philosophiam, quia, quum necesse sit multa sciri, non est res tanta nisi amplis contenta spatiis.

88. Quum libet evagari quocumque, quid dubium est viam invenit.

89. Specta diu studiorum finem.

90. Est autem e contrario pollicitans contemtum.

91. Imperiosum diadema sapientis philosophia, quae in mente sita est, praemiumque menti inserendum promittit.

92. Fortuna corporis ipsa est in corpore; hanc imperi-

stupenda, quod est in Sp. H. l. c. Codex noster *obstupenda*. Sp. D. iterum 6. 13. init. de moribus senum repetit sic: *tam vero ridendam constantiam*. Illud *obstupenda* nove dictum. V. OBSTUPESCO in Lex. mox cit. § 5. et 6. *Ridendus* passive dixit *Horat. ep.* 1. 9. et *Juven.* 10. 124.

83. Forte conjungenda cum sequenti usque ad *res ipsas*.

88. Sensus fortasse est: Quum deflectunt aliqui a proposito, omne quod dubium est, locum suum invenit.

90. Nota in margine videtur supplere sententiam hanc: *Pulcherrimum philosophiae* (studium) *ibi utile*...... *non pollicetur divitias*, est autem e contrario pollicitans contemtum. Particula *autem* in textu videtur illud expostulare.

92. Illud *utitur* ex margine adscivi in textum; item addidi par-

tum vulgus novit et videt, quod solo (utitur) corporeo oculo, in corpore sitam, quae sunt corporis, pollicitantem; illam autem intuentur, quos altior mens erexit. (Si) istuc vita processit, oblectamen attraxit.

93. Imperabis regibus, si imperes fortunae, si scias contemnere eam.

94. Non quod vel quot legeris, sed quot scias, attendendum est.

95. Nil novit, qui aeque omnia.

96. *Cito transcursa, citius labuntur.*

97. *Sic multi disciplinas gustant, ut convivae delicias.*

98. *Renuit philosophia fastidientem stomachum: ad*

ticulam *si*, quam sensus, ut mihi quidem videtur, requirit. Comparatio, ni fallor, hic sistitur inter fortunam vulgi, quam ponit in bonis corporis, et fortunam sapientis, quam ponit in bonis animi, ut sensus sit: Vulgus imperitum novit illam tantum fortunam quae est in corpore, et eo quod solo utitur corporeo oculo, videt illam sitam in corpore et pollicitantem, quae sunt corporis. Sapientes vero, quos altior mens erexit, illam intuentur (philosophiam, quae sita est in mente, cfr. n. praec.). Si vita istuc processit, profecto traxit oblectamentum.

93. Illud postremum: *Si scias* etc. videtur explicatio praecedentis, videlicet: tunc imperabis fortunae, si scias illam contemnere.

96. Schneid. ex Sp. H. l. c. connectit cum sequenti, quam anteponit inserens post *delicias* particulam *sed*, quae in codice nostro desideratur. Sic pariter Sp. D. 2. 33.

97. Schneid. ex Sp. H. l. c. *Sic multi libros degustant*. V. n. praec.

98. Postrema verba tantum codex noster habet, in quibus corruptio certe est. Nota in margine hoc sane admonere videtur voce *desunt*.

simplicem, coenam hilarem invitat convivam; sed invitat pro tempore (ad) deliciarum varietatem.

99. Nescit quo tendat, qui multas sequitur vias.

100. Tantum vasa retinent, quantum capacia sunt; addita emanant.

101. Non quaecumque auris, suscipit et memoria. *Canale fissum est auris, quae accepta memoriae non commendat.*

102. (XIII.) *Nusquam deveniet qui, quot videt, sequitur calles.*

103. Omnia omnibus vel pene adimas. Pauperculum non ex ademptis divitem appellabis. Est igitur pauperies minoribus, ampliores aliorum divitiae.

104. Felicitas et infelicitas ex comparatione, non secundum se sunt. Si nemo plus minusve aliis possidet, jam haec nihil sunt; ex invidia igitur nomen paupertatis profectum est.

99. Mutatis verbis eadem est ac illa n. 102.

100. Codex perperam habet *retinet — emanat*.

101. Schneid. ex Sp. H. l. c. tantum alteram hujus sententiae partem habet, quam conjungit cum allata n. 64. inserens particulam *vero* post *canale*. Nota illud *canale* neutrius generis, cujus exemplum nusquam apud auctores reperi.

102. Schneid. *nusquam perveniat* cum Barthio: Sp. II. l. c. *deveniet* cum nostro codice, recenset tamen post illam n. 107., sicut ex cod. III. qui legit: *nusquam devenit*. Cfr. n. 99.

105. (XI.) *Non essemus pauperes, si nesciremus quid esset paupertas.*

106. (XII.) *Nescire quid sit paupertas, optimus est ad summas divitias progressus.*

107. *Non miser est, nisi qui esse credit.*

108. Vis esse dives? Nil cogitando tibi addas, sed aliis demas.

109. Ex minimis morum sumere licet signa.

110. Dum vulgus colat, nihil interest an vera an falsa praedices.

105. Schneid. ex Sp. H. l. c. *quid est paupertas*. Barth.: *Si ignorare nos pateremur quid esset paupertas*. Prior hanc sententiam habet inter eas n. 101. et 106. allatas.

106. Schneid. etiam hanc sententiam ponit ante illam n. 101. et conjungit cum sequenti. In nostro codice admodum manca est, sic enim legitur: *Nesciens quid sit optimus ad soma progressus*. Nos tantum retinuimus ex codice *sit* loco *est*, quod habetur apud Schneid. ex Sp. H. l. c. Scheda Barthii sic habet: *Optimus est ad sum. div. progr. ignoscere se paupertati*. Ad hunc Barthii locum Conr. Orell. p. 293. ed. cit. notat « *ignoscere se paupertati* verba » corruptissima esse et sensu cassa. Legendum videtur: » *assuescere paupertati*; i. e. adeo parce et sobrie vivere, » quasi sis pauperrimus ». Haec profecto non dixisset, si saltem cum Schneidero hanc sententiam legisset.

107. Schneid. ex Sp. H. l. c. *non est miser, nisi qui se esse credit*. Barth. *qui sic se esse putat*. Notat Orell., loco mox adducto, delendam esse in Barthio particulam *sic*. Cod. III. concordat cum Schneidero, sed duabus praecedentibus istam adnectit omittens verba: *nescire quid sit paupertas*.

108. Loco *esse* in margine habetur *fieri*.

110. Ad hoc et sequens fragmentum peropportune faciunt verba

111. Timorem mortis non demi vel augeri, uti expedit, oportet.

112. Multa scit sapiens, quae cum nemine contulit.

113. Ex praemeditato non duceris in causam.

114. Lingua mente cuique nocentior est.

115. Non...... viscera ad videndum quid sentias.

116. Ad mores et opiniones audientium prudens vocem formabis.

117. In singulis excellere et neminem profiteri tam laudabile, quam (quia) difficillimum est.

118. Innatum cuique suis bonis gloriari, differt autem quod sapiens apud se, imperiti in publico.

119. Dignus est decipi, qui cujus rei est actor, et ejus laudator.

120. *Non tam modeste quis sua miratur, quam aliena: hoc autem fit, quoniam nemo sibi invidet.*

121. Utilissimum est propria invidere.

122. Mordacitas scribenti publicanda: quibus si erit

ipsius Varronis apud *d. Augustin. Civ. D.* 4. 31. «Multa »esse vera, quae non modo vulgo scire non sit utile, sed »etiam, tametsi falsa sint, aliter existimare populum expediat». *Varr. fragm. p.* 229. *Bip.*

115. Inter voces *non* et *viscera* corruptum verbum est quod desinit in *aberis*, forte *scrutaberis*.

117. Illud *quia* uncis inclusi, quod mihi inutile videretur.

120. Schneid. ex Sp. H. l. c, habet *quivis* loco *quis*. Codex noster loco *quam* habet *ut*. Sp. D. 5. 12. iisdem verbis repetit, quicum concordat cod. III.

121. Videtur connectenda cum praecedenti. *Utilissima* clare legitur in codice, pro quo *utilissimum* reponendum censui.

122. Locus sane corruptus, nec facile restituendus. Sic ego co-

facile ignoscendum est, id mordacius linguata coaequet.

123. (XIV.) *Imperitiae signum est, quod difficillimum est, exigere, ut cito fiat.*

124. Nunquam illi ars proderit, cui primum non profuit exercitatio.

125. (XV.) *Nulla jactura est scienti gravior, quam temporis.* Se utitur, qui tempore.

126. Non vivit cum quo bene agitur. *Viatores non eunt ui eant, sic et vita non sui causa fit, sed ut in ea praeclarum aliquid fiat.*

127. Ad quod niti socordia non patitur, id otiosi votis attribuunt.

128. Inertes ad quod niti volunt, votis inhiant.

natus sum legere: Mordacitas scribentium publicanda est, quibus si facile esset ignoscendum, quis dein mordacius linguas coerceat? Ceterum alii viderint.

123. Schneid. ex Sp. H. l. c. *exigere cito fieri*, quicum concordat cod. III.

125. Schneid. ex Sp. H. l. c. secundam sententiae partem cum cod. III. omittit, ut etiam Barthius, qui habet priori loco *temporum* pro *temporis*.

126. Et hic locus pariter corruptus in codice, et in dispositione ab omnibus differt. Prima pars, qua alii carent, quid propriè significet, non video. Verba *viatores non eunt, ut eant*, ad sententiae finem dedit. Hanc secundam ejus partem, quae fere concordat cum Schneid. ex Sp. H. l. c. dedimus ex cod. III. Barthius particulam *in* ante *ea* inseruit. Repetitur autem haec in Sp. D. 5. 142. iisdem verbis, sed conjunctim cum illa, quam habebis n. 159., sic — *aliquid fiat. Utile quidem, sed* etc.

128. Haec praecedentis sententiae explicatio videtur.

129. Sic diligendi sunt amici, ut nos nobis odio haberi putemus, si amicos ex assiduitate commorandi langueat amicitiae desiderium.

130. *Qui magis excellit, etiam in vitiis laudabitur.*

131. Hereditarium putes quodcumque audisti, lucrum quidquid inveneris.

132. Inventores laudat, qui alienis gloriatur.

133. Non strenuum appellabis negotiatorem, qui in nullo rem auxit, nec ego philosophum, qui nihil invenit.

134. Sic audita meminisse magni ducimus, ut si eos magnis atavis praeclaros putemus.

135. Nihil laudabile, quod cuique est possibile.

136. *Non est felicitas, quae secum recipit miseriam.* Non sunt ergo felices divitiae.

137. *Adulationis est spectamen, quum laus praecessit postulationem.*

129. Secunda seutentiae pars manca profecto est. Interpunctio in codice sic est: *putemus. Si amicos. Ex assiduitate* etc.

130. Schneid. ex Sp. H. l. c. *qui in magnis excellit, etiam invitus laudabitur.* Repetitur iisdem verbis in Sp. D. 5. 174. Nostra lectio aeque probabilis, et alium licet sensum fundat, non minus tamen verum ex quotidiana consuetudine experimur, etsi hoc nullo modo probandum sit.

134. In codice *athavis* ἀρχαικῶς cum aspiratione.

136. Schneid. ex Sp. H. l. c. cum cod. III. primam tantum partem protulit. Secundam solummodo codex noster habet.

137. Schneid. ex Sp. H. l. c. cum cod. III. *Adulationis est specimen — praecedit.* Sp. D. 5. 168. *Adulationis — praestolationem praecedit.* Prior lectio verior esse videtur, ait Schneid.

138. A peritis non observatur philosophia. Imperite debentur in iis exercere, quae nemo novit.
139. Pauci pulcherrimum est in sciente miraculum.
140. Gloria est scientis stupor admirantium.
141. Quod experimentum docuit, scripto recognoscitur, quod ex usu non est compertum, ex scripto nostro est facile, quod fieri facile est, demum facillimum est.
142. Non quaecumque possit, sed quae debeat, ad lectorem lector adducat.
143. Non tantum quae prosunt, sed quae attineant, consideret.
144. Citra perfectionem omne principium est, ultra veritatem est, qui in paucis offendiculum quaerit.
145. Quum viam subdole excedunt disquisitiones, et interminatae, inefficaces et contentiosae sunt.
146. Sapientibus tam pulcherrima spectacula sunt.
147. (XVIII.) *Multi laudem amittunt, quum de se eam*

138. Interpunctio hujusmodi est in codice: *A peritis non observantorum* (sic) *philosophia. Imperite debentur. In iis exercere — novit*. Legerem: *ab imperitis* priori loco, et secundo *periti*, etc.
139. Legerem *paucis*, ut sensus sit: Pauci scientes h. e. doctos viros plurimi faciunt, nisi mavis illud *pauci* ad *est* retrahere, ut parum pulcherrimum sit in sciente miraculum.
140. Haec proxime respicit praecedentem.
145. In codice habetur *disquisitores*, quod novum est in lingua latina, pro quo reposui *disquisitiones*. Alii viderint.
146. Cfr. sententias n. 139. et 140., quibuscum aliquid commune haec habere videtur.
147. Schneid. ex Sp. H. l. c. *quon. ipsi eam de se praed. Hoc*

praedicant. Hoc modo sapiens se laudat, quae in se bona apparent in aliis laudando.

148. Praeclare cum illo agitur, qui non mentiens dicit.

149. Ab Aristotele responsum est sciscitanti saepe Alexandro: quo docente profiteretur se scientem. Rebus, inquit, ipsis, quae non noverunt mentiri.

150. Prudenti disquisitio tam jucundior, quam subtilior notione ignotorum.

151. Desiderata non habita magni fiunt, habita vilescunt.

152. Imperitis improbabile, sed verum disquirenti.

153. Nihil perfecte notum est.

154. Auditis, non disquisitis gloriari in nullo laudabilius, quam si, cervo a venatore tibi dato, egregie aliquid factum a te putes.

155. Alienum est, quod auditur, sic stupendum est, ut propter id natum putes.

autem uno modo sapiens, quae in ipso apparent, bona, in aliis praedicando. Item Sp. D. 5. 174. *Multi vero laudem — hoc autem uno modo sapiens se laudat*, etc. Barthius sic legit: *Multi laudem amittunt, quam ipsi de se dicunt* Atque hac sententia conficit suam Συλλογήν. Cod. pariter III. suam hac concludit, sed ponit ante illam n. 158. a nobis afferendam. Bothius vero sic suo modo hanc Barthii sententiam versificandam esse proponit: *Amittunt multi laudem, quam ipsi praedicant*, vel sic *Multi suam laudem amittunt, quum ipsi praedicant.*

151. Schneid. ex Sp. H. l. c. *magni sunt*. Iisdem verbis repetitur in Sp. D. 5. 119. Codex noster perperam *desideria* pro *desiderata* habet.

152. Supplendum videtur, ni mavis cum praecedenti conjungere; quod est improbabile imperitis, est verum disquirenti.

155. In codice: *Sic strupendum*, vel quid simile. Videtur haec

156. Sui dominus est, qui se philosophiae mancipavit, (quia jucundius est quod aeque justum experienti, quam quum ex perito est).

157. Nemini, quia senex addiscit, verecundia est incutienda; melius enim (est) senem addiscendo pati erubescentiam, quam per ignorantiam poenam promereri aeternam.

cum praecedentibus connectenda, instituta comparatione inter ea, quae audimus, vel ipsi disquirimus. Verum ante verba *sic stupendum* aliqua supplenda esse arbitror, quae divinare tamen non ita facile est.

156. Secunda hujus sententiae pars a me uncis inclusa (prior enim ex se perbelle consistit) sane corrupta est. Inter hanc et sequentem medid linea vacua relicta est in codice.

157. Haec est nostri codicis postrema sententia, ad cujus majorem lucem particulam illam *est* addidi. Videtur autem haec secunda sententiae pars potius glossa alterius scriptoris, nec Varroni tribuenda. Codex tamen caret solita illa formula in fine libri cujuscumque: *Explicit liber*, vel quid simile; quare mancus hic sententiarum Varronis libellus conspicitur. Et sane duae aliae sententiae a Schneidero collectae ex Vincentio Bellovacensi, quas infra statim subjiciam, in codice nostro, ex quo ceteras omnes hucusque exhibitas recensuimus, plane desiderantur. Quod porro ad hanc ipsam spectat sententiam, haec animadvertenda proponimus. Nota in margine ipsius codicis hujusmodi habetur. „Videtur hic de sene addiscente sic loqui in „LXXIII. epistola c. *qui livoris* in fine: unde dicit Seneca: „*Malo aliena prudentia addiscere, quam mea imprudentia ignorare*. Et Philosophus: *Si unum pedem in sepulcro tenerem, aliquid adhuc discere vellem*: unde ait „Seneca: *Ad addiscendum, quod necesse est, nulla mihi „aetas sera videri potest et beatum augmentum: homo.*

Appendicula sententiarum M. Terentii Varronis extra codicem.

158. (XVII.) Contemnendi sunt ineruditorum contemptus, si vis ad summa progredi.

„*quantum sapit, tanto vivit*". In epistolarum Senecae excerptis, quae hoc ipso codice, ut supra diximus, continentur, reapse habentur quoque excerpta ex epistola mox indicata Senecae n. LXXIII. (quae in comm. edd. n. 88. venit), ubi invenitur periodus illa quae incipit: *Qui livoris*, et clare legitur: *Ad discendum, quod necesse est, nulla aetas tarda videri debet, quia etsi magis deceat senem docere, quam addiscere, magis tamen decet addiscere, quam quod deceat, aut doceat ignorare*. Nota denique in margine ad hunc Senecae locum haec habet: *De hoc vide etiam in Proverbiis Varronis in fine*. Locus ille ex epistola Senecae memorata in editis non reperitur, quamvis priora ex eadem epistola excerpta in illa reapse inveniantur; suspicor itaque extrema haec ex alia Senecae epistola descripta fuisse. Denique non abs re puto adnotare ad hanc Varronis sententiam aliquid conferre verba apud *Cic.* de *Senect.* 8. „ Quid? „ qui etiam addiscunt aliquid? ut Solonem versibus glo„riantem videmus, qui se quotidie aliquid addiscentem „dicit senem fieri, ut ego feci (Cato), qui graecas litteras „senex didici, etc. ". Sic et *Horat. Poet.* 88. „ Cur ne„scire pudens prave, quam discere malo? "

158. Schneider hanc edidit ex Sp. D. 3. 85. et Barth. Eadem repetitur in Sp. H. l. c. cum variante lectione *abjiciendi*. Ceterum Scheda Barthii sententiam hanc dividit, secundam sic augens: *Si vis ad summum progredi ab infimo ordire*. Hanc affert et cod. III., unde suspicor ejus auctorem suas ex illis a Vincentio allatis sententias hau-

159. Utile sed inglorium est, ex illaborato in alienos succedere labores.

160. Postremus dicas, primus taceas.

161. Tacere est optimum, et pro viribus sapere.

162. Sapiens bonum fert modice, fortiter malum.

163. Plus mereri debet in quo virtus est.

sisse. Bothius vero more suo hanc ex Barthio descriptam sic legendam censuit: *Sis progrediri ad summum, ordire ab infimo*, et notavit libros χακομέτρως legere: *Si vis ad summum progredi*, etc.

159. Hac sententia clauditur Συλλογὴ Vincentii Bellovacensis Sp. H. 7. 59. Eadem repetitur in Sp. D. 5. 142., sed conjunctim cum illa, quam dedimus n. 125. addita particula *quidem* post *utile*, ubi pariter loco vocabuli novitatem redolentis *ingloriosum* quod primo loco dederat, legitur *inglorium*, quod nos probavimus.

160. Hanc sententiam Varronianam autumo, et ex Sp. D. 2. 43. hic describendam censeo. Ibi enim ita legitur: « Primus » praecepta apud Hebraeos Moyses scripsit, apud Lati» nos vero Marcus Vates (lego *Varro*) primus praecepta » composuit, ex quibus est illud: « *Postremus dicas, pri*» *mus taceas* ». Ceterum alii viderint.

161. Hanc sententiam, quam non reperi in Varronis fragmentis, retuli ex Orellio, qui l. c. tanquam Varronis in Eumenidibus inter variorum sententias n. 247. illam affert.

162. Et haec ab Orellio l. c. n. 329. affertur ex Varrone in Περὶ τύχης. Legitur tamen sic in fragmentis ejusdem apud *Nonium* in *Modicum* in Coll. Pisaur. T. IV. in fine: *Sapiens et bonum ferre potest modice, et malum fortiter ac leniter*. Cfr. *Varr. Fragm.* p. 274. *Bip.*

163. Ex Orellio l. c. n. 248. « *Varro* in *Eudaemonibus* apud » *Non.* trochaicus imperfectus. Sensus est: Majora prae» mia virtute praeditis et bene meritis sunt tribuenda ».

164. Non humanitas, immo saevitia est laedere innocentem.

165. Ars est extrinsecus una, alia intrinsecus.

* Nunc in segetibus, ajunt, nunc in herbis frumenta bona sunt. Nolite ibi nimiam spem habere. Saepe audivimus inter os et offam multa intervenire posse; verum inter herbam et offam longum intervallum est.

164. Ex cod. ibid. n. 214. « Citatur e Varrone a grammaticis trochaicus imperfectus » non addito nomine auctoris, qui hanc tulerit sententiam.

165. Hanc descripsi ex *Mario Victorino* in *Expos.* ad *Rhet. Cic.* 1. *p.* 19. ed. Orell., ubi idem Marius ait: « Omnis » ars duplex est, id est duplicem faciem habet secundum » praeceptum sententiamque Varronis, qui ait: *Esse ar-* » *tem extrinsecus unam, aliam intrinsecus* ».

* Hanc sententiam, quae est ultima Συλλογῆς Schneiderianae, attulit ex Sp. D. 6. 128. sane vitiatam Schneider, cui se medicinam adhibere non potuisse fatetur. Primam partem sic igitur affert ex Sp. D. l. mox citato: *Nunc in segetibus, ajunt, in herbis, in herbis in frumentis bona sunt*, etc.; at correctior eadem sententia repetitur ab eodem Vincentio Sp. H. 7. 58. in fine: *Hujus autem Varronis hoc dictum memorabile legitur: Nunc in segetibus*, et reliqua ut supra dedimus. Apparet tamen, sequitur idem Schneider in nota ad hunc locum, respici proverbium: *Messis aut frumentum in herba est*. Quidquid porro sit, haec sententia non est Varronis, sed potius *M. Porcii Catonis* censorii. Affertur enim sub hujus nomine, tanquam fragmentum orationis de Aedilibus vitio creatis, ab *A. Gell. N. A.* 13. 17., quo loco declaratur etiam quid sibi velit proverbium illud *inter os atque offam multa intervenire posse*. Haec si Schneiderus

Alia M. Terentii Varronis fragmenta quae in editione Bipontina desiderantur.

Monitum.

Quum ad pleniorem Varronis librorum ejusdemque fragmentorum notitiam mihi comparandam plura classicorum auctorum et veterum praesertim grammaticorum scholiastarumque opera summa cura evolvissem, factum est, ut plura quoque repererim Varronis fragmenta, quae in Bipontina editione supra memorata hactenus desiderantur. Itaque operae pretium duxi eadem hic subjungere, ut hac saltem ratione amplior habeatur

meminisset, de emendatione illius loci non dubitasset. Discrepat vero textus Gellii ab illo Vincentii, quem attulimus, in sequentibus tantum: *Nunc ita ajunt in segetibus et in herbis bona frumenta esse — audivi inter os atque offam — inter offam atque herbam, ibi vero longum intervallum est*. Magis probarem textum Vincentii; illa *ibi vero* apud Gellium perperam inserta mihi videntur. *Meyerus*, qui romanorum oratorum fragmenta collegit et illustravit Parisiis 1837., p. 145. textum affert secundum ex Vincentio, neque priorem animadvertit. Seusus denique hujus sententiae istiusmodi est: Quum frumentum sementavit, atque adeo in herba est, fructus jam certus esse videtur; nolite tameu nimium confidere, quia si multa possunt intercidere inter os et offam, eo plura poterunt inter herbam et offam. Simile huic est: *Multa cadunt inter calicem supremaque labra*, et apud Italos: *Tra la spiga e la man quel muro è messo*. Cfr. *Gell. l. c.*, et *Lex. Forcell.* ad ANCAEVS § 1.

Varronis fragmentorum collectio, atque haec sit tanquam appendix illius. Ad haec Varronis fragmenta colligenda me praesertim movit auctoritas ipsius Schneideri, qui de illis in indice Scriptorum de Re Rustica ad vocem VARRO haec disertis verbis tradit: « Digna ple-»raque omnia viri doctissimi librorum fragmenta mihi »videntur esse, quae in unum collecta, atque elegan-»tius, quam vulgo factum videmus, digesta atque or-»nata ex historiis romanis et graecis explicentur atque »emendentur ». Equidem plura etiam Varronis fragmenta, quae ab eodem Schneidero vel in vita ejus vel in commentariis, et a Lambecio, Lindemanno aliisque emendantur, addere potuissem; verum hoc futuro Varronianorum operum editori consulto relinquendum putavi, ne, quae rectius diligentiusque edi possent ab aliis, parum fortasse idonee describerem. Quare hic nova tantum fragmenta a me collecta exhibebo.

166. Equites apud veteres flexutes dicebantur,

166. Citat hoc fragmentum *Servius* ad *Virg.* 9. *Aen.* 606. *Flectere ludus equos* etc., ubi ait: « Flectere autem verbo »antiquo usus est (Virgilius), nam equites apud vete-»res etc., sicut ait Varro Rerum Humanarum (scilicet »libro) ». Alii legunt *flexuntes* pro *flexutes*. At Salmasius veram lectionem *flexutes* statuit in *Comment.* ad *Lamprid.* in *Comm.* 1., et equites ita a flectendis equis in gyrum vocatos; ut enim ab *arcu*, *arcitis* et *arcutis*, ὁ τοξότης, et ab *armis*, *armitis* vel *armutis*, ὁ ὁπλίτης, sic a *flexu*, *flexitis*, et ἀρχαικῶς, *flexutis*. Hinc quoque emendandus, ait, *Plinius* 33. 2. 9. *Celeres sub Romulo regibusque appellati sunt, deinde flexumines*, lege *fle-*

167. Varro secundo historiarum refert: « Aeneam, capta Troja, arcem eum plurimis occupasse, magnamque hostium....... *obtinuisse* abeundi » potestatem. Ita......, auferre. Quumque circa » (arma) opesque alias ceteri morarentur, Aeneam patrem suum collo *extulisse*, *mirantibus*que Achivis hanc pietatem, redeundi » Ilium copiam datam, ac Deos Penates ligneis » sigillis vel lapideis terrenis quoque Aeneam...... quam rem Graecos stupentes » omnia sua auferendi potestatem dedisse, ea- » que........ »

168. Caeculum Varro ab Depidiis pastoribus educatum, ipsique Depidio nomen fuisse et cognomentum Caeculo (tradit) libro, qui inscribitur Marius aut de Fortuna.

xutes. Hanc Salmasii sententiam forte respexit *Frid. Lindemann* in *Comm. Paul. Diac.* (Lipsiae 1832. 4.°) p. 329. in v. *Arquites*. Hinc in Lexico Forcelliniano delenda erit vox FLEXVMENIS, et alteri historicae voci FLEXVTES latina civitas donanda.

167. Quatuor haec, quae sequuntur, fragmenta descripta sunt a veteribus Virgilii Maronis interpretibus editis ab *A. Maio* Mediolani 1818. 8.° Primum affertur ad *Virg.* 2. *Aen.* 717. Librum Varronis Historiarum eumdem esse ac illum Annalium, cujus meminit *Charis.* p. 81. *Putsch.*, arbitratur cl. *A. Maius*.

168. Libri *Marius* aut *de Fortuna* inscripti aliud fragmentum affert *Macrob.* 2. *Saturn.* 14. Hoc habetur ad *Virg.* 7. *Aen.* 681. *ibid.* A. Maius sua, qua pollet, eruditione haec adnotat: « Hinc sanari mihi videtur Solini lectio c. 11. » *Caeculum juxta ignes fortuitos invenerant, ut fama est,*

169. *Varro Rerum divinarum* XIII. De Diis certis spes quum conciliata non frustra esset, et evenisset...... bantur, quam Deam (Veniliam) cum Neptuno conjungunt.

170. Varro putat, Caere oppidum Etruriae (a) Pelasgis quum sitientes inventum flumen proximum..... salutassent χαῖρε, atque ea causa id vocabulum oppido datum.

171. Varro dicit in aliis libris, quod ad Actium scripsit:

»*Digitorum sorores*. Quo loco Salmasius notat, vetu»stiores omnes melioresque Solini libros habere *Digidio»rum*; ipse tamen in aliam plane explicationem abit. Le»gendum igitur in Solino *Depidiorum sorores* ».

169. Affertur hic locus *ibid.* ad 10. *Aen.* 26. ad quem adnotat cl. Maius: « In hujus libri Varronis (nempe XIV.) frag»mento (quod videtur libri ipsius exordium) videmus agi »de *Diis incertis*, quae res plane congruit cum horum »postremorum librorum descriptione, quae apud *d. Au»gustin. Civ. D.* 6. 3. ejusmodi est: *In tribus, qui restant, »libris Dii ipsi sequuntur extremi: in primo Dii certi, »in secundo incerti, in tertio cunctorum novissimo Dii »praecipui atque selecti* ». Cfr. *Augustin. ib. c. seq.* In hanc cl. Maii notam typographicum mendum irrepsisse puto in verbis *de Diis incertis*, loco *de Diis certis*; siquidem ex ipso d. Augustini loco librum XIV. Rer. divin. Varronis de Diis certis disseruisse patet. Hinc quoque, ni me fallit opinio, fragmentum allatum sic interpungerem: *Varro Rerum divinarum* XIIII. *de Diis certis. Spes*, etc.

170. Ad quem librum spectet hoc Varronis fragmentum, non patet. *Vet. Interpr.* illud ad *Virg.* 10. *Aen.* 183. affert. Haec nominis notatio traditur quoque a *Steph. Byzant.* in *Lex. Forcell.* V. CAERE.

171. Fragmentum hoc primum edidit cl. Frid. Heusinger in Fl.

sedecim fuisse (apud Romanos litteras), postea tamen crevisse et factas esse viginti tres. Tamen primae, quae inventae sunt, fuerunt undecim. Postea item (autem *Heusing.*) viginti tres factae sunt. Illic commemoratur qui illam fecit, qui illam.

172. Varro et Atejus contra sentiunt, dicentes DIVOS perpetuos, DEOS, qui propter sui consecrationem timentur, ut sunt Dii manes.

173. Falculas has phancillas germinisecae vocant.

Mallii Theodori ed. Lugd. Batav. 1766. 8.° p. 64. ex vet. cod. Gualpherbytano, ad quod Ruhnkenius adnotat: loco *Actium* forte scribendum *Atticum*, ut intelligantur libri *de Vit. P. R.* Sed recte illi obloquitur Schneid. in *Varr. Vita ed. cit. p.* 239., et insuper addit in codice a se inspecto scriptum fuisse *in aliis libris*, nec rationem se videre fatetur cur *aliis* omiserit Heusinger; dein cl. Car. Odofr. Müller in ed. libr. Varr. de L. L. Lipsiae 1833. p. 264. hunc Actium, ad quem Varro alios de grammaticis rebus libros scripsit, eundem habet ac illum, quem idem Varro in fragm. *ib. l. c.* vocat *Accium nostrum.* Ceterum nomina *Actii*, *Attii*, *Accii* facile permutantur in vett. mss, Cfr. etiam quae dixit cl. Frid. Lindemann in *Pompeji Comm. in Art. Donati p.* 9. *et* 27. ed. Lipsiae 1820. 8.° Ex hoc loco saltem *Accium* quemdam grammaticum, quo nomine id. Müller eum vocat in indice, cognoscimus ipsius Varronis aequalem.

172. Hoc ex *Serv.* ad *5. Aen.* 45. hausimus. Ateji nomen non plane certum est. Cfr. fragm. *Varr.* de *L. L.* apud *Müller. ed. cit. p.* 265. *n.* 4.

173. Fragmentum hoc refert *Ausonius Popma* in libro de *Instr. Fundi* c. 3. ed. Bip. inter Script. R. R. T. 3. p. 468. ex *Varrone* de *L. L.* 4. *Germiniseca*, inquit ille, est qui

174. Varro ait, genera tantum illa esse, quae generant.

175. Varro dicit, genera dicta a generando; quidquid enim gignit vel gignitur, hoc potest genus dici et genus facere.

176. Ait Plinius Secundus, secutus Varronem, quando dubitamus principale genus, redeamus ad diminutionem, et ex diminutivo cognoscimus principale genus.

177. Palem Varro masculino genere appellat.

178. Omnes, qui fortiter fecerunt, Hercules vocabantur.

in hortis et vineis germina falculis praecidit. Vocabulum hoc *germiniseca, ae*, m. 1. in Lex. Forcell. desideratur. Quid porro sit vocabulum illud *phancillas*, non reperi.

174. Affert locum hunc grammaticus *Pompejus* editus primum a cl. Lindemanno, ut supra diximus p. 143. Eandem generis definitionem fere omnes adscivere grammatici non item Varronem significantes auctorem. Cfr. n. seq.

175. Habet haec *Servius* in *Art. Gramm.* edita ab eodem Lindemann. conjunctim cum Pompejo p. 491. Cfr. n. praec.

176. Et hoc fragm. affert *Pompejus ed. cit. p.* 454. Nomen *diminutio* hoc sensu non reperitur in Lex. Forcell. Utitur tamen eodem et *Tertull.* de *Idolol.* 3. « Εἶδος graece »*formam* sonat, ab eo per deminutionem εἴδωλον dedu»ctum, aeque apud nos formulam fecit ».

177. Hoc tradit *Mythographus* tertius editus ab *A. Maio* inter *Class. Auct. T.* 3. p. 170. Auctor loquitur de Pale, quam Virgilius, inquit, genere feminino appellat, alii, inter quos Varro, masculino.

178. Hoc et alterum, quod sequitur, fragmentum idem *Mythogr.* sic conjunctim p. 274. *cap.* de *Hercule* affert: « Sane, sicut Varro dicit, omnes, qui fortiter fecerunt, » Hercules vocabantur, licet eos primo XLIII. enumera»verit ».

179. Varro Hercules numeravit XLIII.

180. Unus idemque est homo; a corpore tamen homo, ab anima sapiens dicitur.

181. Scabere.

182. Varro peritissimus Latinorum *Geometriae* nominis causam sic extitisse commemorat, dicens prius quidem homines dimensiones terrarum terminis positis, vagantibus populis, pacis uti-

180. Idem *Mythogr*, p. 162. disserens de Jove sive de Deo, qui multiplici ratione vocabatur etiam sexu diverso, et probat auctoritate *Valerii Sorani*, qui dixit:

Jupiter omnipotens, rerum regumque repertor,
Progenitor genitrixque Deûm, Deus unus et idem.

Hinc ait: Varro dicit, quod unus idemque etc. Cfr. *Augustin.* de *Civ. D.* 7. 11.

181. Infinitivum *scabere*, inquit *Eutychius* grammaticus editus a cl. Lindemann. Lipsiae 1831. lib. 2. 1., legi apud *Menippeum Varronem* in *Catamito*. Ex hoc discimus satyram quandam, ni fallor, composuisse Varronem, quae *Catamitus* inscribebatur, cujus nemo praeter hunc auctorem hucusque meminerat. Vehementer tamen errat is, qui, Varrone et Horatio exceptis, apud nullum alium se vidisse verbum *scabere* usurpatum affirmat, de quo proinde dubitat an in praesenti *scabio* vel *scabo* dicendum sit. V. in Lex. Forcell. v. SCABO.

182. Hoc et sequens fragmentum, quorum unum ex libro procul dubio Varronis de Geometria, alterum ex illo, ut mihi quidem videtur, de Musica descriptum est, attulit *Cassiodorus* in compendiis, quae ipse de Geometria et de Musica elucubravit. Haec tamen ad verbum ex Varrone transcripta fuisse non putamus. — *Menstrualis numerus* est numerus mensium. Ita apud D. *Zenon.* 1. *Tract.* 6. 2. *menstrualis curriculus* est unius mensis spatium.

lia praestitisse: deinde totius anni circulum menstruali numero fuisse partitos, unde et ipsi menses, quod annum metiantur, dicti sunt: verum postquam ista reperta sunt, provocati studiosi ad illa invisibilia cognoscenda, coeperunt quaerere quanto spatio a terra luna, a luna sol ipse distaret, et usque ad verticem caeli, quanta se mensura distenderet: quod peritissimos Geometras assecutos esse commemorat; tunc ad dimensionem universae terrae probabili refert ratione collectam: ideoque factum est, ut disciplina ipsa Geometriae nomen acciperet.

183. Hyperlydius tonus omnium acutissimus septem tonis praecedit hyperdorium omnium gravissimum, in quibus, ut Varro meminit, tantae utilitatis virtus ostensa est, ut excitatos animos sedaret, ipsas quoque bestias, nec non et serpentes, volucres atque delphinas ad auditum suae modulationis attraheret.

184. Varro de Numeris scripsit.

185. Ad numerum cubicum XXVII., ut Varroni placet,

183. Hyperlydius, XV. musicae tonus omnium novissimus et acutissimus, de quo idem *Cassiod.* lib. de *Mus.* Desideratur haec vox in Lex. Forcell., sicut etiam altera *hyperdorius*, qui est XI. musicae tonus, ut idem *Cassiod.* tradit.

184. Testem hujus rei habemus *Rufin.* de *comp.* et *metr. Orat.* p. 191. ed. Orell., praeter fragmentum a *Censorin.* de *D. nat. p.* 323. ed. Bip. Fortasse et sequens fragmentum ad hunc eundem librum pertinet.

185. *Eulogius* ad *Cic.* in *Somn. Scipion. p.* 407. ed. Orell. Cfr. *Fragm. Varr. p.* 256. ed. Bip. Numerus cubicus est ille,

lunaris cursus congruit revolutio, quae in xxvii. diebus omne tanti sideris lumen exhaurit.

186. M. Terentius Varro historiam Erechthei ejusque filiarum exposuit libro humanarum ii.

187. M. Terentius Varro in libro iii. de vita P. R. refert, quam gratus fuerit erga bene meritos.

188. Dialecticam et Rhetoricam Varro in novem disciplinarum libris tali similitudine definivit: Dialectica et Rhetorica est, quod in manu hominis pugnus adstrictus et palma distensa: illa verba contrahens, ista distendens.

189. Multam M. Varro ait poenam esse, sed pecuniariam, de qua subtiliter in libro i. Quaestionum Epistolicarum refert.

Religionis praecipuae habetur Censoria *majestas, cujus in libris de vita P. R.* Varro *exempla haec profert:*

qui oritur ex duplici multiplicatione per se ipsum, vel qui oritur ex radice quadrati. Sic $3 \times 3 = 9 \times 3 = 27$.

186. *Schol. Bobiens.* ad *Cic.* pro *Sextio p.* 299. ed. Orell.

187. *Asconius* ad *Cic.* in *Pison. p.* 13. ed. Orell. Hoc et praec. proprie verba Varronis non afferunt, plurimum tamen conferunt ad ejus vitae atque operum notitiam plenius acquirendam.

188. Licet hoc fragmentum allatum fuerit in ed. Bip. p. 202., tamen hic repetendum censui, quum ex illo discamus novem fuisse Varronis disciplinarum libros, non octo, ut enumerat editio supra citata.

189. Ex *Sexto Pompejo Festo* de *Signif. Verbor. p.* 169. ed. Lindem. Cfr. ed. Mülleri p. 142., et *Varr.* de *L. L.* 5. § 177. eodem edente.

190. *M. Fulvius Nobilior*, cum M. *Aemilio Lepido Censor factus, quum ei* admodum *inimicus antea extitisset, saepeque iudicia* cum eo *ipsi fuissent, a P. R. aliena existimans odia*, quae *in privata vita exercuerat, eo delato munere,* homini *inimicitias statim remisit: quod ejus animi* judicium fuit *omnibus gratum et probatum.*

191. *A. Postumius* R. *Fulvius* Censores facti, postquam Fulvius duos filios amiserat *in Illyrico militantes, et propter gravem morbum* oculorum *censuram gerere non poterat; Postumius, ut* libri Sibyllini *adirentur auctor fuit, atque ut publice* supplicarentur *pro valetudine collegae.*

192. Ti. Sempronius, *quum a Rutilio Tr. Pl. Censoria* fides labefactaretur, *ob parietem dirutum ira-*

190. Decem, quae sequuntur, fragmenta ex eodem *Festo* deprompta sunt, cum supplementis, quae cl. viri Lindemannus et Müller ediderunt; qui tamen nonnihil inter se discrepant. Lindemann. p. 234. ait: « Opinor hic a Festo » referri Varronis verba ex libro rerum humanarum, vel » de vita populi romani, in quo de censoria majestate age» bat. Censores autem in iis nominantur continuatis quin» quenniis ab anno DLXXV. ad annum DCXXIII.; nam pri» ma censura refertur M. Aemilii Lepidi et M. Fulvii » Nobilioris, qui lustrum fecerunt L. a. U. C. 575. ». Nos dedimus supplementum Mülleri. De his censoribus V. *Val. Max.* 4. 2. 1.

191. A. Postumius Albinus et Q. Fulvius Flaccus censores fuerunt a. U. C. 580. Hi L. F. LI. V. *Liv.* 43. 3.

192. Ti. Sempronius Gracchus et C. Claudius Pulcher, qui L. F. LII. a. U. C. 585. V. *Val. Max.* 6. 5. 3., *Cic.* de

tus quum esset aed*is suae; collega pro C. Claudio a populo* condempnato, fecit, *ut eaedem illae, eodem quae in loco* erant, condem*pnatum absolverent centuriae*.

193. L. Aemili Paulus (sic) *et Q. Philippi religiosa censura* fuit. Laboravit *Paulus morbo gravi et paene* amissione capit*is in eo honore*.

194. *Religiosa item* et P. Corneli Scipion*is Nasicae, cui collega M.* Popilius, post consul*em qui fratrem vidit, censura* fuit: vadatus *enim quum esset*. . . . . . *a P. R. liberatum* constat.

195. M. Val*erius Messala C. Cassius* Longinus censores, *quod in eorum magistratu subversa* pudicitia fuerat, famosi *extiterunt*. *nam palmam, quae* in Capitolio in ara *ipsa Jovis Optimi Maximi bello Per*sico nata fuerat, *tum prostratam ferunt, ibique esse* enatam ficum, infamesque *fecisse illos, qui sine* ullo pudicitiae respec*tu fuerant, censores*.

Rep. 6. 2. et *A. Gell.* 6. 16. De P. Rutilio Tr. Pl. V. *Val. Max. ibid.*

193. L. Aemilius Paulus et R. Marcius Philippus, qui L. F. LIII. a. U. C. 590. V. *Epit. Liv.* 46., et *Plutarch.* in *Paulo* 39. Müllerus adnotat Supplem. n. 1. admodum incerta esse.

194. P. Cornelius Scipio Nasica et M. Popillius Laenas, qui L. F. LIV. a. U. C. 595. V. *Plin.* 17. 26. Sed hoc supplem., inquit Müllerus, minus placet; ac simpliciter fatendum est, rem enarratam obscuram esse.

195. M. Valerius Messala et C. Cassius Longinus, qui L. F. LV. a. U. C. 600. V. *Piso.* apud *Plin.* 17. 25. 38. § 245.

196. L. Corneli Lentuli C. *Censorini sequitur censura*, Lentulus iudicio *publico repetundarum damnatus* fuerat: plurimi itaque *timebant, ne censor poenas repeteret, sed ille nulli gravis fuit*.

197. *P. Africani* L. Mummi *censura insignis; sed in qua sequitiae* in agendo *notetur Mummius. is asellum nulla* soluta *poena ex aeraris exemit, Africani irrisa* severitate, qui illum fecerat aerarium.

198. *Sed et* Q. Fulvi *Nobilioris et ejus collegae Ap. Claudii Pulcei* (sic) fuit *nobilissima censura, nobilitati* tribus notis *inustis severissimis*.

199. *Q. Pompei et Q. Caecili* Metelli *Macedonici cen-*

196. L. Cornelius Lentulus Lupus et C. (sed in Fastis L.) Marcius Censorinus, qui L. F. LVI. a. U. C. 607. V. *Val. Max.* 6. 9. 10.

197. P. Cornelius Scipio Africanus Aemilianus et L. Mummius Achaicus, qui L. F. LVII. a. U. C. 612. V. *Cic.* de *Orat.* 2. 66. et *Plutarch.* in *Apophth.*

198. Q. Fulvius Nobilior et Ap. Claudius Pulcer, qui L. F. LVIII. a. U. C. 618. De secundo sic Müller l. c. « In codice servatum est *ei*, quo *Ursinus* adductus conjecit, T. Annium Luscum, cos. a. U. C. 626., Fulvii fuisse in censura collegam. *Dacerius* substituit Q. Fabium Maximum. Sed *Dio Cassius fragm. Peiresc.* 84. vincit, cum Fulvio censorem fuisse Ap. Claudium Pulcrum: quapropter suspicor, illud *ei* in codice fuisse *cri*. Ursini errorem notavit Reimarus in *Dion. p.* 36. ». Ursinum tamen perperam sequutus est Lindemann l. c.

199. Q. Pompejus Rufus et R. Caecilius Metellus Macedonicus, qui L. F. LIX. a. U. C. 623. V. *Plin.* 7. 44. 143. In iis, quos Metellus senatu movit, C. Attinius Labeo erat.

sura lectus senatus; ad sum*mum senatores amoti sunt* tres et eo lu*mine, qui aliorum offunderent* claritatem.

200. Suffragatores *dicebantur apud* Maiores hi, qui vulgo in usu *erant candidatis, nam quo meli*us apparerent, iuncta suffra*gia, suffragator,* quem quisque fieri vellet, notabat *apposito puncto*, scribtis candidatorum hominum *nominibus*. Varro in L. vii. rerum humanarum *haec tradidit*.

201. Oppius (mons) appellatus est, ut ait Varro rerum humanarum libro vii., ab Opitre Oppio Tusculano, qui cum praesidio Tusculanorum missus

200. Hoc fragmentum invenitur quidem in ed. Bip. p. 206., sed sine supplementis, ut prorsus inutile sit; quare illud edidi, ut apud *Müll. ed. cit. p.* 347. invenitur; ubi adnotat: «Haec si recte supplevit *Ursinus*, ut videtur, suffragatores non qui suffragia ferebant, sed qui ea in usum candidatorum notabant, dicebantur. De punctis *Cic. pro Planc.* 22. notissimus est locus ». In Lex. tamen Forcell: SVFFRAGATOR, qui suffragatur, qui suffragium fert. Ad hanc rem facit quod *Porphyrio* in Horatii versum in poetica: *Omne tulit punctum*, adnotavit: Antiqui, inquit, suffragia non scribebant, sed puncto notabant. Idem refert epigramma incerti poetae de punctis suffragiorum:

Ciconiarum Rufus iste conditor,
Hic est duobus elegantior Plancis,
Suffragiorum puncta non tulit septem,
Ciconiarum populus ultus est mortem.

201. Hoc pariter desumpsi ex *Festo p.* 308. ed. Mülleri coll. *p.* 359. ed. Lindem. Lex. Forcell. affert in vocibus OPPIVS et CISPIVS, ex *Festo*, sed omisso Varronis nomine; insuper priori loco dedit *Oppita Oppio* pro *Opitre Op-*

ad Romani tuendam, dum Tullus Hostilius Vejos oppugnaret, consederat in Carinis, et ibi castra habuerat. Similiter Cispium a Laevo Cispio Anagnino, qui ejusdem rei causa eam partem Esquiliarum, quae jacet ad vicum Patricium versus, in qua regione est aedis Mefitis, tuitus est.

202. Varro in Europa: Tutum sub sede fuissent.

203. *Vapula Papiria* in proverbio fuit antiquis. Vapulo positum esse ait *Varro* pro peri.

204. Adversus ipsam mutationem locorum, detractis

pio, quod omnino retinendum ex emendatione Mülleri. De bello in Vejos V. *Liv.* 1. 27. *Laevus* an praenomen Cispii Anagnini? *Laevus Cispius*, L. Planci amicus, memoratur a *Cic.* 10. *Fam.* 18. *et* 21. A Laevo procul dubio gens *Laevia* et *Laevinus* cognomen.

202. Ex *Festo p.* 381. ed. Mülleri, qui de hujus loci fide dubitat, praesertim quum Varronis in Europa nulla praeter hunc locum mentio inveniatur. Affertur etiam in Lex. Forcell. ad v. TVTVS § 10. « *Festus:* Tutum frequen»ter dicitur maxime, Varro: Tutum etc. ». Notat tamen cl. Müller. ad verba *frequenter..... maxime:* » Tutum »pro tuto frequentissime positum esse ab antiquioribus, »Festus videtur dixisse ».

203. Hoc, quod hausimus ex *Festo p.* 372. ed. Müll. coll. *p.* 278. ed. Lindem., habetur quoque in Lex. Forcell. v. VAPVLO § 2., ubi proverbium hoc explicatur. Notandum tamen quod verbum *vapulo* rectius ait Lindemann in adnot. ad L. I. *p.* 745. deduci ab ἀπαλόω, *contundo, flagris caedo*, quam ab ἀπολλύω, *pereo*, ut quibusdam visum est.

204. Hunc *Senecae* locum ex *Cons. ad Helv.* 8. dedimus supra in nota ad Sent. n. 40.

ceteris incommodis, quae exsilio adhaerent, satis hoc remedii putat Varro doctissimus Romanorum, quod quocumque venimus, eadem rerum natura utendum est.

Deperditorum M. Terentii Varronis operum fragmenta apud graecos scriptores nunc primum excerpta.

Praemittenda.

Hisce apud latinos auctores repertis placuit etiam illa addere fragmenta, quae apud graecos habentur, ea praesertim de causa, quia, quum nondum hucusque collecta fuerint, maximam tum Varroni ipsi, tum deperditis ejus operibus lucem afferre posse deprehendi. Consulto autem omnia illa loca praetermisi, in quibus vel obiter Varro, etsi aliquando cum elogio, memoratur, vel fragmenta ex operibus, quae adhuc extant, referuntur, quamvis ad novam ejusdem operum editionem comparandam plurimum emolumenti inde peti posse perspectum habeam.

Ex Plutarcho

205. „Διὰ τί οὐ πλείονας, οὐδ' ἐλάττονας, ἀλλὰ πέντε λαμπάδας ἅπτουσιν ἐν τοῖς γάμοις, ἃς κηρίωνας ὀνομάζουσιν;" Πότερον (ὡς Βάῤῥων ἔλεγεν) ὅτι τῶν στρατηγῶν τρισὶ χρωμένων, σὺν τοῖς ἀγορανόμοις πλείονας, παρὰ δὲ τῶν ἀγορανόμων ἅπτουσι τὸ πῦρ οἱ γαμοῦντες; (*Quaest. Rom.* 2.)

205. Alias quinque harum taedarum rationes affert ibid. ipse Plutarchus. V. et Lex. Forcell. ad v. FAX § 4.

« Cur in nuptiis quinque faces, quas cereos vo- » cant, nec plures nec pauciores, accendunt? » An quia (ut *Varro* ajebat) praetores trinis, pluribus aediles utebantur, ab aedilibus autem accendunt ignem sponsi?

206. « Διὰ τί τοῖς ἄλλοις Ἀρτεμισίοις ἐπιεικῶς ἐλάφων κέρατα » προσπατταλεύουσι, τῷ δ' ἐν Ἀβεντίνῳ βοῶν; » ἢ τοῦ παλαιοῦ συμπτώματος ἀπομνημονεύοντες; λέγεται γὰρ ἐν Σαβίνοις Ἄντρωνι Κορατίῳ βοῦς εὐπρεπὴς ὄψει καὶ μεγέθει διαφέρουσα τῶν ἄλλων γενέσθαι· μάντεως δέ τινος αὐτῷ φράσαντος, ὅτι τοῦ καθιερεύσαντος Ἀρτέμιδι τὴν βοῦν ἐκείνην ἐν Ἀβεντίνῳ, πέπρωται, μεγίστην γενέσθαι, καὶ βασιλεῦσαι τῆς Ἰταλίας ἁπάσης τὴν πόλιν, ἐλθεῖν μὲν εἰς Ῥώμην τὸν ἄνθρωπον, ὡς θύσοντα τὴν βοῦν· οἰκέτου δὲ κρύφα τῷ βασιλεῖ Σερουΐῳ τὸ μάντευμα φράσαντος, ἐκείνου δὲ Κορνηλίῳ τῷ ἱερεῖ, προστάξαι τὸν Κορνήλιον τῷ Ἄντρωνι λούσασθαι πρὸ τῆς θυσίας ἀπὸ τοῦ Θύμβρεως· νενόμισθαι γὰρ οὕτω τοὺς καλλιεροῦντας. ἐκεῖνον μὲν οὖν ἀπελθόντα λούσασθαι, τὸν δὲ Σερούϊον φθάσαντα, θῦσαι τῇ θεῷ τὴν βοῦν, καὶ τῷ ἱερῷ τὰ κέρατα προσπατταλεῦσαι. ταῦτα καὶ ὁ Ἰόβας ἱστόρηκε καὶ Βάῤῥων πλὴν ὅτι τοὔνομα τοῦ Ἄντρωνος Βάῤῥων οὐ γέγραφεν, οὐδ' ὑπὸ Κορνηλίου φησὶ τοῦ ἱερέως, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ νεωκόρου, παρακρουσθῆναι τὸν Σαβῖνον (*ibid.* 4.).

« Cur reliquis Dianae templis plerumque cervorum » cornua affigunt, illi autem in Aventino boum » (*cornua affigunt*)? » An ut monimentum esset veteris casus? Dicitur enim inter Sabinos Antro Coratius vaccam decoram forma et magnitudine aliis praestantem habuisse, monitusque a quodam vate, quod ei, qui in Aventino bovem

hanc Dianae immolasset, fata summam potestatem deferebant, ejusque urbs Italiae totius regno potiretur, Romam se contulit bovis ibi mactandae gratia. Servus autem regi Servio clam id vaticinium, idque rex Cornelio Pontifici indicavit. Tum Cornelius Antroni mandavit, ut ante sacrificium aqua Tiberis profluente sese ablueret: sic enim legibus praescriptum esse litaturis; verum dum hic se lavatum abierat, Servius jussit immolari vaccam in honorem Dianae mactataeque cornua templo affixit. Hoc et Juba narrat et *Varro:* nisi quod hic Antronis nomen non habet, deceptumque non a Cornelio sacerdote Sabinum, sed ab aedituo refert.

207. « Διὰ τί τοὺς τεθνάναι φημισθέντας ἐπὶ ξένης ψευδῶς, κἂν » ἐπανέλθωσιν, οὐ δέχονται κατὰ θύρας, ἀλλὰ τῷ κεράμῳ προσβαίνοντες εἴσω καθιᾶσιν αὐτούς; » ὁ μὲν γὰρ Βάῤῥων αἰτίαν μυθικὴν ὅλως ἀποδίδωσι. φησὶ γάρ, ἐν τῷ περὶ Σικελίαν πολέμῳ ναυμαχίας μεγάλης γενομένης, καὶ κατὰ πολλῶν φήμης οὐκ ἀληθοῦς, ὡς ἀπολωλότων, ῥυείσης, ἐπανελθόντας αὐτοὺς ὀλίγῳ χρόνῳ πάντας τελευτῆσαι. ἑνὶ δ' εἰσιόντι τὰς θύρας ἀπαντῆσαι κλειομένας ἀπ' αὐτομάτου, καὶ μὴ χαλᾷν ἐπιχειρούντων ἀνοίγειν. τὸν δ' ἄνθρωπον αὐτοῦ καταδαρθέντα πρὸ τῶν θυρῶν ἰδεῖν κατὰ τοὺς ὕπνους ὄψιν ὑφηγουμένην αὐτῷ τὴν ὑπὲρ τὸ τέγος εἰς τὴν οἰκίαν καθέμησιν· ποιήσαντα δὲ οὕτως, εὐτυχῆ γενέσθαι καὶ γηραιόν. Ἐκ δὲ τούτου τὸ ἔθος καταστῆναι τοῖς ὕστερον (*ibid.* 5.).

207. Καθιᾶσιν αὐτούς. Quid si legas: *Sed ii, conscenso tecto, sese inde domum demittunt?* Haec quidem lectio melius cohaerebit cum Varroniana fabula, et unica lenis in aspe-

«Cur quos peregre mortuos falso fama nunciavit, »reversos non per fores admittunt, sed con»scenso tecto, in domum demittunt?» Fabula omnino est, quod *Varro* pro causa affert. Quum bello apud Siciliam magnum navale praelium fuisset commissum, multosque fama mentiretur periisse, qui erant superstites, hos domum reversos, intra breve tempus universos fuisse mortuos; unum ex illis domus suae januam forte fortuna occlusam offendisse, neque aperire potuisse, ipsum, quum ante fores obdormisset per quietem spectrum vidisse, quod ei praeciperet, ut se de tecto in domum demitteret, cumque consilio huic paruisse, longamque vitam feliciter exegisse, atque hujus ab exemplo istam fuisse introductam consuetudinem.

208. Ἐπὶ τῶν τάφων, ὥς φησι Βάῤῥων, περιστρέφονται (οἱ υἱοί), καθάπερ θεῶν ἱερὰ τιμῶντες τὰ τῶν πατέρων μνήματα, καὶ καύσαντες τοὺς γονεῖς, ὀστέῳ πρῶτον ἐντύχωσι, θεὸν γεγονέναι τὸν τεθνηκότα λέγουσι (*ibid.* 14.).

rum spiritum mutatione conficietur, ut αὐτοὺς legas pro αὐτούς. *Xylander.* — Plutarchus dein probat eundem morem et apud Graecos viguisse, qui ut profanos habebant, neque se iis permiscebant, neque ad sacrificia admittebant eos, quibus factum fuerat funus et sepulcrum tanquam mortuis. Quare is contra Varronem autumat Romanos illum morem potius a Graecis excepisse, ac proinde patet cur *historicam* Varronis *causam* αἰτίαν μυθικὴν appellat.

208. Quaestio, in qua Varronis auctoritas affertur, haec est: *Cur parentes efferunt filii velatis capitibus passisque crini-*

Supra sepulcrum, ut dicit *Varro*, circumagunt se (filii), tanquam Deorum templa colentes patrum monumenta, et quum comburant parentes, ut primum inveniunt os, defunctum Deum evasisse dicunt.

209. « Διὰ τί πᾶν τεῖχος ἀβέβηλον καὶ ἱερόν νομίζουσι, τὰς δὲ » πύλας οὐ νομίζουσιν; » ἢ (καθάπερ ἔγραψε Βάῤῥων)· τὸ μὲν τεῖχος ἱερὸν δεῖ νομίζειν, ὅπως ὑπὲρ αὐτοῦ μάχωνται προθύμως καὶ ἀποθνήσκωσιν;...... τὰς δὲ πύλας οὐχ οἷόν τ' ἦν ἀφιερῶσαι, δι' ὧν ἄλλα τε πολλὰ τῶν ἀναγκαίων καὶ τοὺς νεκροὺς ἐκκομίζουσιν (*ibid.* 27.).

« Cur omnem murum sacrum intaminatumque ha» bent, portas non item? » An vera est *Varronis* sententia? muros propterea sacros existimandos, ut pro iis propugnare alacrius cives, mortemque etiam oppetere sustineant,....... portae autem sacrae esse non poterant, quum per eas et alia necessaria et cadavera etiam efferrentur.

210. « Διὰ τί τῷ Ἡρακλεῖ γινομένης θυσίας, ἄλλον οὐδένα θεῶν » ὀνομάζουσιν, οὐδὲ φαίνεται κύων ἐντὸς τῶν περιβόλων, » ὡς Βάῤῥων ἱστόρηκεν; » (*ibid.* 90.).

« Qua de causa, quum Herculi sacrificium fit, nul» lum alium Deum nominant, neque apparet ca» nis intra sepimenta, ut *Varro* tradidit? »

bus? Cui respondetur: *An quia filiis venerandi sunt patres tanquam Dii, filiabus autem lugendi ut mortui?*

210. Patet hoc loco quaestionem movisse Plutarchum ex narratione historica (ἱστόρηκεν) Varronis. Quo autem Historiarum sive Annalium libro hoc tradiderit Varro, non liquet.

211. « Διά τί κοσμοῦσι τοὺς παῖδας τοῖς περιδεραίοις, ἃ βούλλας καλοῦσι;...» ὃ οἱ περὶ Βάῤῥωνα λέγουσιν, οὐ πιθανόν ἐστι, τῆς βούλλης ὑπὸ Αἰολέων βολλᾶς προσαγορευομένης, τοῦτο σύμβολον εὐβουλίας περιτίθεσθαι τοὺς παῖδας (*ibid.* 101.).

« Quare pueros ornant monilibus, quae bullas vo» cant? » Probabile non est quod *Varro* dicit, quum bulla aeolice dicta sit bolla, hoc pueris signum boni consilii additum fuisse.

212. « Διά τίνα αἰτίαν ἐν ταῖς δημοσίαις ἑορταῖς ἔθος οὐκ ἔστι » γαμεῖσθαι παρθένους, αἱ δὲ χῆραι γαμοῦνται; » πότερον (ὡς ὁ Βάῤῥων εἴρηκεν) ὅτι λυπούμεναι μὲν αἱ παρθένοι γαμοῦνται, χαίρουσαι δὲ αἱ γυναῖκες· ἑορτῇ δὲ μηθὲν λυπουμένους ποιεῖν, μηδὲ πρὸς ἀνάγκην; (*ibid.* 105.).

« Cur publicis feriis mos non est nubere virgines, » nubunt tamen viduae? » An causa est, quam affert *Varro*? Virgines nubere invitas et tristes, mulieres autem cum laetitia: festo autem die nihil cum molestia, omnia lubenti animo sunt agenda.

213. Ἐν τοῖς κατὰ Οὐάῤῥωνα τὸν φιλόσοφον χρόνοις, ἄνδρα Ῥωμαίων ἐν ἱστορίᾳ βιβλιακώτατον, ἦν Ταρούτιος ἑταῖ-

211. Ex mente igitur Varronis bullae etymon a βόλλα aeolice pro βουλή, *consilium* deducendum esset. Cfr. ad hunc locum Lex. Forcell. ad v. BVLLA § 6.

212. Hoc quod hic dicit Varro, virgines scilicet tristes nubere, concordat cum sententia quam supra attulimus n. 12., ubi fletus puellae nubentis proverbialiter sumitur.

213. Suscepit provinciam L. Tarutius Firmanus, vir, ut tradit *Cic.* 2. *Divin.* 47., « in primis chaldaicis rationibus eru-

ρος αὐτοῦ, φιλόσοφος μὲν ἄλλως καὶ μαθηματικός, ἁπτόμενος δὲ καὶ τῆς περὶ τὸν πίνακα μεθόδου, θεωρίας ἕνεκα, καὶ δοκῶν ἐν αὐτῇ περιττὸς εἶναι. τούτῳ προὔβαλεν ὁ Οὐάρρων ἀναγαγεῖν τὴν Ῥωμύλου γένεσιν εἰς ἡμέραν καὶ ὥραν ἐκ τῶν λεγομένων ἀποτελεσμάτων περὶ τὸν ἄνδρα ποιησάμενον τὸν συλλογισμόν, ὥσπερ αἱ τῶν γεωμετρικῶν ὑφηγοῦνται προβλημάτων ἀναλύσεις· τῆς γὰρ αὐτῆς θεωρίας εἶναι χρόνον τε λαβόντας ἀνθρώπου γενέσεως, βίον προειπεῖν, καὶ βίῳ δοθέντι θηρεῦσαι χρόνον (*id. in Romulo* 12.).

Temporibus Varronis philosophi, hominis Romanorum in historia litteratissimi, vivebat Tarutius familiaris ejus, philosophus quidem et mathematicus, versatus quoque in ratione tabularum, contemplationis ergo (genethliacus), in eaque visus excellere. Huic proposuit *Varro*, ut deduceret Romuli genesin in diem et horam ex dictis circa virum eventibus rationes ducens, quemadmodum geometricarum docent quaestionum analyses; ejusdem enim contemplationis esse, accepto natalis dici hominis alicujus tempore, vitam praedicere, et, vita proposita, tempus inquirere.

»ditus, et nobis Romae natalem diem repetiit ab iis Parilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus, Romamque, in jugo quum esset Luna, natam esse dixit, nec fata canere non dubitavit ». Natalis Romae dies ex Tarutii rationibus convenit cum anno ant. Chr. n. 753., Olymp. VI. ann. 4., quae supputandi ratio Varroniana dicitur, et anno differt a Catoniana, quae statuit Romam conditam fuisse Olymp. VII. ann. 1., ant. Chr. n. 754.

214. Ὀπίμια δὲ τὰ σκῦλα, φησὶν Οὐάῤῥων, καθότι καὶ τὴν περιουσίαν ὄπεμ. λέγουσι (*ibid.* 16.).

Opima autem spolia (appellant Romani), inquit *Varro*, eadem de causa, qua et divitias opem dicunt.

Ex Dionysio Halicarnassensi

215. Ἦσαν δὲ (αἱ πόλεις Ἀβοριγίνων) ἐν τῇ Ῥεατίνῃ γῇ τῶν Ἀπεννινῶν ὀρῶν οὐ μακράν, ὡς Βάῤῥων Τερέντιος ἐν Ἀρχαιολογίαις γράφει, ἀπὸ τῆς Ῥωμαίων πόλεως αἱ

214. Hoc tamen etymon minus arridet Plutarcho, qui statim addit melius deduci posse ab *opus*, quod graece ἔργον dicitur: Πιθανώτερον δ᾽ ἄν τις εἴποι διὰ τὴν πρᾶξιν· ὅπους γὰρ ὀνομάζεται τὸ ἔργον. Illi tamen minime assentiendum puto; aliud enim est, ni fallor, etymon *operis*, aliud *opis*, seu *opum*. Vocabulum *opes* deducerem ab ὀπός, *succus*, unde per contractionem *ops*, quo nomine imprimis terra sic appellata eo quod omnes nutriat, atque hinc opes terrae fructus, qui primas hominum divitias constituerunt; et *opimus*, succulentus, crassus, fertilis proprie de agris, et opima spolia κατ᾽ ἐξοχὴν, quae maxime pinguia essent, superlativorum in morem ut a *pro*, *primus*. Eadem ratione *adeps* compositum ab *ad* et *ops*, mutata littera, dicerem, ut sit succi abundantia, pinguedo, et *inops*, succo carens. *Opus* autem, unde *opera* et *operor*, quarum vocum in rebus rusticis frequentem usum apud scriptores reperimus, ab ὀπή, *foramen*, *caverna*, *specus*, *fovea* deducerem. Insuper non ὀπίμια Plutarcho dicendum erat sed ὄπιμα, non enim opimia sed opima latine dicuntur spolia.

215. Sequitur toto hoc capite et sequenti de oppidis Aboriginum sermo. Hoc profecto ex Varronis opere de Antiqui-

τὸ βραχύτατον ἀπέχουσαι ἡμερησίου διάστημα ὁδοῦ· ὧν ἐγὼ ἐπιφανεστάτας, ὡς ἐκεῖνος ἱστορεῖ, διηγήσομαι. Παλάτιον μὲν, κ. τ. λ. (*Antiquit.* 1. 14.).

Erant autem (oppida Aboriginum) in Reatino agro ab Apenninis montibus haud longe, ut *Varro Terentius* in *Antiquitatibus* scribit, a Romanorum urbe, quae minimum, distantia itineris unius diei spatium. Horum ego maxime illustria, ut ille narrat, edisseram. Palatium, etc.

216. Ἐν γοῦν ἄλλῃ πόλει (Ῥώμῃ) νεοκτίστῳ τοσούτους ἱερεῖς καὶ θεραπευτὰς τῶν θεῶν εὐθὺς ἀποδειχθέντας οὐδεὶς ἂν εἰπεῖν ἔχοι. χωρὶς γὰρ τῶν ἐχόντων τὰς συγγενικὰς ἱερωσύνας, οἱ τὰ κοινὰ περὶ τῆς πόλεως ἱερὰ συντελοῦντες κατὰ φυλάς τε καὶ φράτρας ἑξήκοντα κατεστάθησαν ἐπὶ τῆς ἐκείνου (Ῥωμύλου) ἀρχῆς· λέγω δὲ ἃ Τερέντιος Οὐάῤῥων ἐν Ἀρχαιολογίαις ἔγραψεν, ἀνὴρ τῶν κατὰ τὴν αὐτὴν ἡλικίαν ἀκμασάντων πολυπειρότατος (*ibid.* 2. 21.).

In nulla sane alia civitate (Roma) recens condita tot sacerdotes et ministros Deorum statim dedicatos aliquis indicare posset. Praeter illos

tatibus hauserat Dionysius, quum praesertim dixerit paulo supra Aboriginum oppida sua aetate pauca superfuisse. Cfr. *ibid.* 10., ubi Ἀβεῤῥιγῖναι ab aliquibus dicuntur.

216. Dionysius antequam Varronis sententiam proferat haec ait: « De honoribus item, quos mulieribus reges tribuerunt » ob novatam in eis reconciliandis operam, non inter » omnes romanos scriptores convenit. Sunt enim, qui » scribant eas et aliis donis multis magnisque remune- » ratas a regibus, et triginta, quas diximus curias illarum » accepisse nomina, quod totidem in legatione fuissent: » sed Terentius Varro etc. » ut sequitur.

enim, qui habent gentilia sacerdotia, ii, qui publica pro civitate sacra perficiunt, tributim et curiatim sexaginta constituti sunt in principatu illius (Romuli). Dico autem ea, quae *Terentius Varro* in *Antiquitatibus* scripsit, vir eorum, qui illa aetate floruerunt, peritissimus.

217. Οὐάῤῥων δὲ Τερέντιος τοῦτ' αὐτοῖς τὸ μέρος οὐχ ὁμολογεῖ παλαίτερόν τι λέγων ἐν ταῖς κουρίαις τεθῆναι τὰ ὀνόματα ὑπὸ τοῦ Ῥωμύλου, κατὰ τὴν πρώτην τοῦ πλήθους διαίρεσιν, τὰ μὲν ἀπ' ἀνδρῶν ληφθέντα ἡγεμόνων, τὰ δ' ἀπὸ πάντων· τὰς δ' ἐπὶ τὴν πρεσβείαν ἐξελθούσας γυναῖκας οὐ τριάκοντα εἶναί φησιν, ἀλλὰ πεντακοσίας καὶ τριάκοντα τριῶν δεούσας· οἴεταί τε οὐδ' εἰκὸς εἶναι τοσούτων γυναικῶν τιμὴν ἀφελομένους τοὺς βασιλεῖς ὀλίγαις ἐξ αὐτῶν δοῦναι μόναις (*ibid.* 2. 47.).

Sed *Terentius Varro* hac parte dissentit a reliquis, asserens jam ante nomina curiis a Romulo fuisse imposita, quum primum distribueret multitudinem, partim a ducibus, partim a *veteribus* patriis desumpta: nec in legationem profectas triginta, sed demptis tribus, triginta supra quingentas: nec putat verisimile, reges hunc honorem tantae mulierum catervae ademptum, paucis dumtaxat voluisse conferre.

218. Ἐν τῇ Ῥεατίνων χώρᾳ, καθ' ὃν χρόνον Ἀβοριγῖνες αὐτὴν κατεῖχον, παρθένος τὶς ἐπιχωρία τοῦ πρότου γένους εἰς ἱερὸν ἦλθεν Ἐνυαλίου χορεύουσα, τὸν δ' Ἐνυάλιον οἱ Σαβῖνοι, καὶ παρ' ἐκείνων οἱ Ῥωμαῖοι μαθόντες, Κυρῖνον

218. Cfr. hunc Dionysii locum cum altero *Plutarchi in Quaest. Rom.* 88., ubi dicitur hasta nominari Quirin seu Quiritin, et Quirinum inde dictum Enyalium: Τὸ γὰρ δόρυ

ὀνομάζουσιν, οὐκ ἔχοντες εἰπεῖν τὸ ἀκριβὲς, εἴτε Ἄρης ἐστὶν, εἴτε ἕτερός τις ὁμοίας Ἄρει τιμὰς ἔχων. οἱ μὲν γὰρ, ἐφ' ἑνός οἴονται θεοῦ πολεμικῶν ἀγώνων ἡγεμόνος, ἑκάτερον τῶν ὀνομάτων κατηγορῆσθαι· οἱ δὲ κατὰ δυοῖν τάττεσθαι δαιμόνων πολεμιστῶν τὰ ὀνόματα. ἐν δὲ τοῦ θεοῦ τῷ τεμένει χορεύουσα ἡ παῖς ἔνθεος ἄφνω γίνεται, καὶ καταλιποῦσα τὸν χορὸν, εἰς τὸν σηκὸν εἰστρέχει τοῦ θεοῦ. ἔπειτα ἐγκύμων ἐκ τοῦ δαίμονος, ὡς ἅπασιν ἐδόκει, γενομένη τίκτει παῖδα, Μόδιον ὄνομα, Φαβίδιον ἐπίκλησιν. ὃς ἀνδρωθεὶς μορφήν τε οὐ κατ' ἄνθρωπον, ἀλλὰ δαιμόνιον ἴσχει, καὶ τὰ πολέμια πάντων γίνεται λαμπρότατος. καὶ αὐτὸν εἰσέρχεται πόθος οἰκίσαι πόλιν ἀφ' ἑαυτοῦ· συναγαγὼν δὲ χεῖρα πολλὴν τῶν περὶ ἐκεῖνα τὰ χωρία οἰκούντων, ἐν ὀλίγῳ πάνυ χρόνῳ κτίζει τὰς καλουμένας Κύρεις· ὡς μέν τινες ἱστοροῦσιν, ἐπὶ τοῦ δαίμονος, ἐξ οὗ γένεσθαι αὐτὸν λόγος εἶχε, τοὔνομα τῇ πόλει θέμενος· ὡς δ' ἕτεροι γράφουσιν, ἐπὶ τῆς

κούρεω ἐκάλουν οἱ παλαιοί, διὸ καὶ φασιν Κυρῖνον ὀνομασθῆναι Ἐνυάλιον. V. in Lex. Forcell. CVRIS et QVIRIS. Enyalius quoque, sed graecis litteris, memoratur a *Macrob.* 1. *Saturn.* 19. « Plerique Liberum cum Marte » conjungunt, unum Deum esse monstrantes; unde Bac- » chus Ἐνυάλιος cognominatur; quod est inter propria » Martis nomina ». Vox Ἐνυάλιος ab Ἐνυοῖ *Enyo*, Bellona, socia Martis deducitur, et tanquam epitheton Marti tribuitur *Homer. Il.* 18. 303., qui etiam adjective usurpat *Il.* 17. 211. bellicosus, fortis. In Enyalii honorem ante praelium post paeana, quod videtur justum quoddam carmen fuisse, quo Martis auxilium imploraretur, clamor tollebatur a militibus: id dicebatur ἐπαλαλάζειν, seu ἐλελίζειν τῷ Ἐνυαλίῳ vel παρακαλεῖν τὸν Ἐνυάλιον. *Xenoph. Cyrop.* 7. 1. *Anab.* 1. 4. Cfr. *Poll. Onom.* 1. 163. Scriptores posteriores Enyalium a Marte distinguunt. V. *Schol. Aristoph. Pac.* 456.

αἰχμῆς· Κύρεις γάρ οἱ Σαβῖνοι τὰς αἰχμὰς καλοῦσιν. ταῦτα μὲν οὖν Τερέντιος Οὐάῤῥων γράφει (*ibid.* 2. 48.)

In Reatinorum agro, quo tempore Aborigines eum tenebant, virgo quaedam indigena conspicuo genere in templum venit Enyalii choros ducens. Porro Enyalium Sabini, eosque secuti Romani, Quirinum nominant, quum non possint accurate dicere, utrum Mars sit, an quisquam alius, qui similes Marti honores habeat. Aliqui enim in uno arbitrantur Deo bellicorum certaminum duce alterutrum e nominibus indicari; alii autem in duobus collocari geniorum bellicorum nomina. In hujus Dei area choros agens puella numine repente afflata est, et deserens choros in templum incurrit Dei, postea praegnans ex genio, ut omnibus videbatur, effecta, parit filium, Modium nomine, Fabidium cognomine. Is virilem aetatem ingressus formam non secundum hominem, sed secundum genium gerit, et bellica virtute omnium est clarissimus. Et ipsum invadit cupido condendae urbis a se ipso; colligens itaque manum magnam illorum, qui circum ea loca incolebant, brevi admodum tempore condit Cures vocatas, ut quidem aliqui tradunt, a genio, ex quo illum ortum esse sermo erat, nomen urbi imponens, ut vero alii scribunt, ab hasta, Cures enim Sabini hastas vocant. Haec sane *Terentius Varro* scribit.

219. Γυνή τις ἀφίκετο πρὸς τὸν τύραννον (Ταρκύνιον), οὐκ ἐπιχωρία, βίβλους ἐννέα μεστὰς Σιβυλλείων χρησμῶν ἀπεμπολῆσαι θέλουσα· οὐκ ἀξιοῦντος δὲ τοῦ Ταρκυνίου τῆς αἰτηθείσης τιμῆς πρίασθαι τὰς βίβλους, ἀπελθοῦσα τρεῖς ἐξ αὐτῶν κατέκαυσε· καὶ μετ' οὐ πολὺν χρόνον τὰς λοιπὰς ἐνέγκασα, τῆς αὐτῆς ἐπώλει τιμῆς· δόξασα δ' ἄφρων τις εἶναι, καὶ γελασθεῖσα ἐπὶ τῷ τὴν αὐτὴν τιμὴν αἰτεῖν περὶ τῶν ἐλαττόνων, ἣν οὐδὲ περὶ τῶν πλειόνων ἐδυνήθη λαβεῖν, ἀπελθοῦσα πάλιν τὰς ἡμισείας τῶν ἀπολειπομένων κατέκαυσε, καὶ τὰς λοιπὰς τρεῖς ἐνέγκασα τὸ ἴσον ᾔτει χρυσίον. θαυμάσας δὲ τὸ βούλευμα τῆς γυναικὸς ὁ Ταρκύνιος, τοὺς οἰωνοσκόπους μετεπέμψατο, καὶ διηγησάμενος αὐτοῖς τὸ πρᾶγμα, τί χρὴ πράττειν ἤρετο. κἀκεῖνοι διὰ σημείων τινῶν μαθόντες ὅτι θεόπεμπτον ἀγαθὸν ἀπεστράφη, καὶ μεγάλην συμφορὰν ἀποφαίνοντες, τὸ μὴ πάσας αὐτὸν τὰς βίβλους πρίασθαι, ἐκέλευσαν ἀπαριθμῆσαι τῇ γυναικὶ τὸ χρυσίον ὅσον ᾔτει, καὶ τοὺς περιόντας τῶν χρησμῶν λαβεῖν· ἡ μὲν οὖν γυνὴ τὰς βίβλους δοῦσα, καὶ φράσασα τηρεῖν ἐπιμελῶς, ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη. ὁ δὲ Ταρκύνιος τῶν ἀστῶν ἄνδρας ἐπιφανεῖς δύο προχειρισάμενος, καὶ δημοσίους αὐτοῖς δύο θεράποντας παραζεύξας, ἐκείνοις ἀπέδωκε τὴν βιβλίων φυλακήν, ὧν τὸν ἕτερον Μάρκον Ἀτύλιον, ἀδικεῖν τι δόξαντα περὶ τὴν πίστιν, καὶ μηνυθέντα ὑφ' ἑνὸς τῶν δημοσίων, ὡς πατροκτόνον, εἰς ἀσκὸν ἐῤῥάψας βόειον, ἔῤῥιψεν εἰς τὸ πέλαγος. μετὰ δὲ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων ἡ πόλις ἀναλαβοῦσα τὴν τῶν χρησμῶν προστασίαν, ἄνδρας τοὺς

219. Pauca quaedam, quae initio hujus capitis a Dionysio ex Varrone afferuntur, habentur quoque apud *Lactant.* 1. 6. ex eodem Varrone in *Fragm.* p. 217. Bip. ubi enumerantur decem Sibyllae. Illa vero, quae hos libros ad Tarquinium Superbum detulit, vocatur Sibylla Cumana nomine Amalthaea, ac septima in ordine recensetur.

ἐπιφανεστάτους ἀποδείκνυσιν αὐτῶν φύλακας, οἳ διὰ βίου ταύτην ἔχουσι τὴν ἐπιμέλειαν, στρατειῶν ἀφειμένοι καὶ τῶν ἄλλων τῶν κατὰ τὴν πόλιν πραγματειῶν, καὶ δημοσίους αὐτοῖς παρακαθίστησιν, ὧν χωρὶς οὐκ ἐπιτρέπει τὰς ἐπισκέψεις τῶν χρησμῶν τοῖς ἀνδράσι ποιεῖσθαι. συνελόντι δ' εἰπεῖν, οὐδὲν οὕτω Ῥωμαῖοι φυλάττουσιν, οὔτε ὅσιον κτῆμα οὔτε ἱερὸν, ὡς τὰ Σιβύλλεια θέσφατα· χρῶνται δ' αὐτοῖς ὅταν ἡ βουλὴ ψηφίσηται, στασέως καταλαβούσης τὴν πόλιν, ἢ δυστυχίας τινὸς μεγάλης συμπεσούσης κατὰ πόλεμον, ἢ τεράτων τινῶν καὶ φαντασμάτων μεγάλων καὶ δυσευρέτων αὐτοῖς φανέντων, οἷα πολλὰ συνέβη. οὗτοι διέμειναν οἱ χρησμοὶ μέχρι τοῦ Μαρσικοῦ κληθέντος πολέμου, κείμενοι κατὰ γῆς, ἐν τῷ ναῷ τοῦ Καπιτωλίνου Διός, ἐν λιθύνῃ λάρνακι, ὑπ' ἀνδρῶν δέκα φυλαττόμενοι. μετὰ δὲ τὴν τρίτην ἐπὶ ταῖς ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν ὀλυμπιάσιν ἐμπρησθέντος τοῦ ναοῦ, εἴτ' ἐξ ἐπιβουλῆς, ὡς οἴονταί τινες, εἴτ' ἀπὸ ταὐτομάτου, σὺν τοῖς ἄλλοις ἀναθήμασι τοῦ θεοῦ διεφθάρησαν ὑπὸ τοῦ πυρός. οἱ δὲ νῦν ὄντες ἐκ πολλῶν εἰσι συμφόρητοι τῶν τόπων· οἱ μὲν ἐκ τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων κομισθέντες· οἱ δ' ἐξ Ἐρυθρῶν τῶν ἐν Ἀσίᾳ, κατὰ δόγμα βουλῆς ἀποσταλέντων πρεσβευτῶν ἐπὶ τὴν ἀντιγραφήν· οἱ δ', ἐξ ἄλλων πόλεων, καὶ παρ' ἀνδρῶν ἰδιωτῶν μεταγραφέντες· ἐν οἷς εὑρίσκονταί τινες ἐμπεποιημένοι τοῖς Σιβυλλείοις, ἐλέγχονται δὲ ταῖς καλουμέναις ἀκροστιχίσι. λέγω δὲ ἃ Τερέντιος Οὐάῤῥων ἱστόρηκεν ἐν τῇ θεολογικῇ πραγματείᾳ (*ibid.* 4. 62.).

Venit ad tyrannum (Tarquinium) externa quaedam mulier novem libros Sibyllinorum oraculorum venales offerens: quumque Tarquinius nollet eos tanti emere, quanti illa indicaverat, abiit, et tres exussit ex eo numero: nec multo post reliquos referens, tantidem obtulit: deri-

saque pro delira, quod tantum pro paucioribus peteret, quantum pro pluribus obtinere non potuisset, rursum discedens reliquorum cremavit dimidium, relatisque tribus, qui supererant, auri quantum antea petiit. Tum rex miratus mulieris consilium, accersivit augures: reque enarrata, quaesivit quid facto opus esset: illi signis quibusdam edocti aversatum eum rem missam divinitus, magnamque noxam admissam esse, quod non omnes libros emisset, jusserunt numerari mulieri quantum auri peteret et reliquum oraculorum redimi; mulier, datis libris, diligenter eos servari monuit; et mox ex hominibus disparuit. Tarquinius duos e civibus viros illustres elegit, additis duobus ministris publicis, quibus istorum librorum custodiam tradidit; horum duumvirorum alterum M. Attilium, visum non bona fide rem gerere, et ab uno ministrorum delatum parricidii, in bubulum culeum insutum projecit in mare. Expulsis regibus, civitas, suscepta Sibyllinorum cura, clarissimos viros custodes eorum creat; qui per totum vitae tempus funguntur eo munere, liberi ab omnibus militaribus atque civilibus muniis: et publice illis addit *alios* sine quibus Sibyllinos libros ab illis inspici non sinit; et, ut compendio dicam, nihil Romani seu religiosum, seu sacrum tam diligenter custodiunt, quam Sibyllina oracula. Utuntur autem eis ex senatusconsulto, si quando seditionibus turbe-

tur status reipublicae, aut in bello insignis aliqua clades accepta sit, aut prodigia et ostenta, quae difficili conjectura magnum aliquid portendant, apparuerint: qualia multa contigere. Hi libri manserunt incolumes usque ad bellum Marsicum, in templi Capitolini cella subterranea, inclusi arcae lapideae, asservati a decemviris. Post exactam vero tertiam supra centesimam et septuagesimam Olympiadem, cremato Capitolio, sive per insidias, ut quidam autumant, sive fortuito incendio, cum aliis donariis Jovis, hi quoque igne absumpti sunt; nam qui nunc extant, e multis locis comportati sunt, partim allati ex italicis urbibus, partim ex Erythris Asiae, ex S. C. legatis illuc ad transcribendum missis, partim ex aliis urbibus, et a privatis hominibus descripti, in quibus inveniuntur quaedam supposititia, quae deprehenduntur acrostichidum quas vocant discrimine. Sequor autem hic *Terentii Varronis* auctoritatem, qui ista prodidit in Commentariis theologicis, *seu Libris Rerum divinarum*.

Ex Clemente Alexandrino

220. Ἐν Ῥώμῃ δὲ τὸ παλαιὸν δόρυ φησὶν γεγονέναι τοῦ Ἄρεως τὸ ξόανον Οὐάῤῥων ὁ συγγραφεύς (*In Protreptico p. 30. ed. Coloniae* 1688.).

220. Hoc fragmentum, sed latine tantum, habetur quoque in edit. Bip. p. 375.

Romae antiquitus statuam Martis fuisse hastam dicit historicus *Varro*.

Ex Joanne Laurentio Lydo Philadelpheno

221. Τὸ γὰρ ἐπίσημα τῶν ἀρχόντων ἀπὸ Θούσκων λαβὼν ὁ βασιλεὺς Νουμᾶς τῇ πολιτείᾳ εἰσήγαγεν, ὥσπερ καὶ τῶν ὅπλων τὸ δύσμαχον ἀπὸ Γαλατῶν. Καὶ μάρτυρες μὲν τούτων ὅ τε Καπίτων καὶ Φωντήϊος, ἐξ ὧν καὶ ὁ διδασκαλικώτατος Οὐάῤῥων, Ῥωμαῖοι πάντες (*De magistr. Rom. prooem.*).

Nam insignia magistratuum rex Numa a Thuscis mutuata in rempublicam introduxit; sicuti et armorum robur a Gallis. Testantur haec Capito et Fontejus, e quibus et doctissimus *Varro*, omnes Romani.

221. Opus Joannis Lydi de magistratibus R. P. Romanae primum editum fuit a *Car. Benedicto Hase*, Parisiis 1812. 8.° in tres libros divisum. Anno deinde 1820. epistola edita fuit ad eundem directa a *Joann. Dominico Fuss*, Leodii in 8.° tanquam illius operis supplementum. Quae pondus habere possint haec Varronis fragmenta apud Lydum, aliis dijudicandum relinquo; mihi sufficiat illa collegisse. Non possum tamen quin simul admoneam a censura nimis aliquando rigida cl. editoris plures Lydi locos vindicasse *Casp. Jac. Chr. Reuvens* in *Collect. Litter.* Lugd. Bat. 1815. 8.° Cfr. etiam *Osann. Analect. Crit. Berolini* 1816. 8.° p. 60. seqq. Fuss p. 10. ad primum hunc locum adnotat: « Egregie discant Lydo ultra meri» tum gaudentes, quanta in antiquorum temporum histo» ria ejus sit non ignorantia modo, sed insignis etiam ine» ptia. Quid enim absurdius, quam Numam, quem omnes

222. Ἀνύονται τοιγαροῦν ἐκ τῆς Αἰνείου ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν παρόδου ἕως τοῦ πολισμοῦ τῆς Ῥώμης ἐνιαυτοὶ ἐννέα καὶ τετρακόσιοι κατὰ Κάτωνα τὸν πρῶτον καὶ Βάῤῥωνα, τοὺς Ῥωμαίους. (*ibid.* 1. 2.).

Sunt igitur ab Aeneae in Italiam adventu ad Romam conditam anni quadringenti triginta novem secundum Catonem majorem et *Varronem*, Romanos.

223. Οὐδὲ γὰρ ἀγνοήσας ὁ Ῥώμυλος, ἢ οἱ κατ' αὐτὸν, δείκνυται κατ' ἐκείνου καιροῦ τὴν Ἑλλάδα φωνὴν, τὴν Αἰολίδα λέγω, ὥς φάσιν ὅτε Κάτων ἐν τῷ περὶ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιότητος, Βάῤῥων τε ὁ πολυμαθέστατος, ἐν προοιμίοις τῶν πρὸς Πομπήϊον αὐτῷ γεγραμμένων, Εὐάνδρου καὶ τῶν ἄλλων Ἀρχάδων εἰς Ἰταλίαν ἐλθόντων ποτὲ καὶ τὴν Αἰολίδα τοῖς βαρβάροις ἐνσπειράντων φωνήν (*ibid.* 1. 5.).

»uno ore pacis amantissimum et religionum conditorem »praedicant τῶν ὅπλων τὸ δύσμαχον, et quod aeque of»fendit, ἀπὸ Γαλατῶν in rem publicam induxisse? »

222. Haec supputatio paucis tantum annis differt a communi chronologia. Cfr. *Tab. Chronol. expositas* a cl. *Blair*, secundum methodum PP. Maurinorum.

223. Hunc locum ex Lydo protulit etiam *Spengelius* agens de Inscriptione librorum Varronis de Lingua Latina, unde deduxit probabili admodum conjectura Varronem librum primum *Pompejo* inscripsisse, in eoque, collato apud *Priscianum* 1. 7. ed. Kr. loco, ubi citatur *Varro* in *primo de origine linguae latinae*, originem, ut res fere ipsa flagitabat, linguae latinae tractasse. Sententia illorum, ab omnibus ferme recepta, qua statuunt linguam hanc aeolica dialecto praesertim prognatam esse, ex hoc quoque Varronis fragmento quam maxime confirmatur. Cfr. *Varr.* de *L. L.* 4. *p.* 8. Bip.

Nam constat etiam Romulum et aequales ejus linguam graecam, Aeoliam dico, non ignorasse, ut ajunt Cato in libro de Antiquitate romana et doctissimus *Varro* in Prooemio illorum, quae ad Pompejum scripsit: quippe Evander ceterique Arcades, in Italiam olim transgressi, Aeoliam linguam inter barbaros sparsere.

224. Ἄλληνες μὲν ἀρβύλας, Ῥωμαῖοι δὲ γάρβουλα καὶ κρηπίδας ὀνομάζουσιν· οὐχ ἁπλῶς πως, οὐδὲ ἀλόγως· ἐν γὰρ τοῖς Εἰκόσι Τερέντιος, ὁ ἐπίκλην Βάῤῥων, Αἰνείαν οὕτως ἐσταλμένον εἰς Ἰταλίαν ἐλθεῖν ποτὲ ἀνεγράψατο, ἰδὼν αὐτοῦ τὴν εἰκόνα, ὡς εἶπεν, ἐκ λίθου λευκοῦ ἐξεσμένην, ἐπὶ κρήνης, ἐν τῇ Ἄλβῃ (*ibid.* 1. 12.).

Quae Graeci ἀρβύλας, Romani garbulas et crepidas vocant, neque hoc casu vel temere: etenim in *Imaginibus Terentius*, cognomine *Varro*, Aeneam ita ornatum in Italiam olim venisse retulit, visa, ut ait, Albae ad fontem, imagine ejus e lapide candido scalpta.

225. Ὅτι δὲ οὐ Ῥωμαϊκὸν τουτὶ (καρταμέραν) τὸ ῥημάτιον, μάρτυς ὁ Ῥωμαῖος Βάῤῥων ἐν βιβλίῳ πέμπτῳ περὶ Ῥω-

224. En novum operis de Imaginibus fragmentum! Cl. *Fuss ep. cit. p.* 15. adnotat ad vocem Γάρβουλα: « Latina vocabula, a Graecis non recepta vix usquam integra servavit librarius. Fuit forte γαρβάτινας (carbatinae), aut, quod magis placet, γάλλικας. Cfr. *Cic. Philipp.* 2. 30. ». Porro ἀρβύλη est genus quoddam calceamenti cavi et profundi; idoneique in primis ad lutum calcandum. V. et CARBATINA in Lex. Forcell.

225. Egregie jam editor vidit, a Lydo intelligi locum, qui nunc legitur *libro quarto* (secundum Mülleri editionem *quinto*

μαϊκῆς διαλέκτου, ἐν ᾡ διαρθοῦται, ποία μέν τις λέξις ἐστὶν Αἰολικὴ, ποία δὲ Γαλλικὴ, καὶ ὅτι ἑτέρα μὲν ἡ Θούσκων, ἄλλη δὲ Ἐτρούσκων, ὧν συγχυθεισῶν ἡ νῦν κρατοῦσα τῶν Ῥωμαίων ἀπετελέσθη φωνή (*ibid.* 1. 13.).

Latinum non esse hoc vocabulum (καρταμέραν) testis est *Varro*, Romanus, in libro quinto de Lingua Latina, in quo explicat, quaenam vox Aeolica, quaenam Gallica, atque aliam esse Thuscorum, aliam Etruscorum, quibus inter se mixtis, quae nunc habetur Romanorum lingua, conflata est.

226. Πρὸς Πεσινοῦντι πόλει τῆς Γαλατίας· οὕτω δὲ τὸ χωρίον ὀνομασθῆναι συμβέβηκεν ἐκ τοῦ πεσεῖν ἀπείρους ἐκεῖ

§ 116.) § 24. p. 33. ed. Bip. valde mendosum: *Lorica a loris, quod de corio crudo pectoralia faciebant: postea succuderunt Galli e ferro sub id vocabulum ex anulis ferream tunicam.* Cl. Müll. l. c. hunc Varronis ita edidit: *Lorica quod e loris .... postea subcidit Gallica e ferro sub id vocabulum, ex anulis ferrea tunica*, dein in nota scribit: « Intelligit Varro θώρακα ἁλυσιδωτόν, qualis Gallis tribuit *Diodorus* 5. 30. Hos putat succidisse » i. e. comprehensos esse sub nomine loricae, ab initio » e loris factae. Spengelius putat, in loco nostro emen- » dando, vel iis, quae desunt, supplendis, utendum esse » loco Joannis Lydi (quem nos attulimus). Verum enim- » vero hujus testimonii omne perit pretium incredibili » Lydi et negligentia et vaniloquentia. Nam quis Varro- » nis de Lingua Latina libros agnosceret in iis, quae ab » hoc scriptore de ejus argumento traduntur imperitissi- » me? » Hic tamen Lydi locus confirmat hypothesin ejusdem Mülleri, qua Varronis de Lingua Latina librum, qui vulgo quartus habebatur, quintum esse statuit.

226. V. PESSINVS in Lex. Forcell.

Γαλατῶν τῶν περὶ Ῥοδανὸν ἐπιπεσόντων τῇ χώρᾳ, Βρέννου ἡγησαμένου, καὶ τὴν ὁμώνυμον αὐτοῖς χώραν ἐκδικεῖν βιαζομένων, ὡς Φενεστέλλας καὶ Σισένας οἱ Ῥωμαῖοί φασιν, ὧν τὰς χρήσεις ὁ Βάῤῥων ἐπὶ τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἀνήγαγεν (*in fragm. ibid. p. 74.*).

Ad Pesinuntem urbem Galatiae. Ita autem appellari locum contigit, quod innumera ibi Gallorum circa Rhodanum habitantium multitudo cecidit, qui, Brenno duce, regionem invaserant, cognominem ipsis terram ulcisci conantes, ut ajunt Fenestella et Sisenna, Romani, quorum loca *Varro* in libro de Rebus humanis protulit.

227. Ὁ Βάῤῥων ἐν τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τῶν Θείων Πραγμάτων φησὶν, Ἰαννὸν παρὰ Θούσκους Οὐρανὸν λέγεσθαι καὶ Ἔφορον πάσης πράξεως καὶ Ποπάνωνα διὰ τὸ ἐν ταῖς Καλάνδαις ἀναφέρεσθαι ποπάονα (*idem de mensibus Januar. 2.*).

Varro in XIV. Rerum Divinarum dicit Janum a Thuscis Uranum vocari et Praesidem omnium actionum et Popanon, eo quod kalendis popanum proferatur.

Ex Suida

228. Τὰ Αἰγυπτίων κακὰ, τὰ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ πόλει, ἐγκατέσκηψε καὶ τῇ Ῥώμῃ Οὐάῤῥων φησίν.

Mala urbis Alexandrinae in Aegypto Romam invaseruht. Ita *Varro* inquit.

227. Illud ποπάονα arbitror esse idem πόπανον, genus placentae latae, tenuis, et orbicularis, cujus usus in sacrificiis fuit. V. POPANVM in Lex. Forcell.

228. Hoc fragmentum affert Suidas ad vocem Ἐγκατέσκηψαν.

Addenda fragmentis latinis

229. Varro: Palilia tam privata quam publica sunt apud rusticos: ut, congestis cum foeno stipulis, ignem magnum transiliant, his Palilibus se expiari credentes.

230. Solebant virgines, antequam nuberent, quaedam virginitatis suae dona Veneri consecrare. Hoc et *Varro* scribit.

229. Hoc fragmentum, quod Varronis nostri esse judico, afferunt *Veteres Commentarii* ad *Persii* 1. *Sat.* 72., ubi *fumosa Palilia foeno* memorantur, editi a *Nic. Lud. Archaintre*. Parisiis 1812. 8.° Palilium meminerat *Varro* 5. *L. L.* 3., seu 6. *ibid.* 15. ed. Müll., et *R. R.* 2. 5. V. Lex. Forcell. ad hanc v.

230. Hoc idem *Vet. Schol.* ad *Pers.* 2. 70.

. . . . Veneri donatae a virgine pupae

affert, non indicato, ut in praecedenti, operis Varroniani loco. Pithoeus JCtus cl. adnotat ad verba *hoc et Varro scribit:* „ Fortassis *Aboriginibus*. Nonius in Puppae ". V. PVPA in Lex. Forcell. ubi § 1. citatur *Varr.* apud *Non.* 2. 675.

M. TULLII CICERONIS

FRAGMENTUM

Praeter fragmentum Ciceronis apud d. Augustinum, quod supra dedimus pag. 61., repertum, et aliud apud Vincentium Bellovacensem in Sp. D. 5. 12. inveni, quod quum pariter inter cetera ejusdem auctoris fragmenta minime reperiatur, hic edere non inutile prorsus duxi. Hujusmodi autem est.

Tullius in Dialogo ad Hortensium

Nulla quidem virtus esse potest, nisi gratuita sit; nam quae voluptate quasi mercede aliqua ad officium impellitur, non est virtus, sed fallax quaedam mutatio ac simulatio virtutis. ...

SPECIMEN OPERIS

MORALIS PHILOSOPHIAE

VENERABILIS

H I L D E B E R T I

EX EOD. COD. MS.

Quum attento animo integrum illum codicem jam a me descriptum perlegissem, vidissemque praesertim opus illud Moralis Philosophiae venerabilis Hildeberti cum illo inter ejus opera edito comparatum plurimum lucis afferre posse tum eidem scriptori, tum aliis, qui sententias morales ex veteribus desumpserunt, tum denique romanae litteraturae, specimen aliquod hujusmodi operis placuit hic praebere, nonnullis praemissis, quae penitius auctorem atque ipsum opus respiciunt.

Venerabilem Hildebertum hoc opus ex variis auctorum latinorum locis concinnasse suspicatus jam fuerat cl. editor (1) in Monito eidem praemisso: « Ceterum » non dubium, quin ex frequenti lectione Senecae, Ci-

(1) Venerabilis Hildeberti primo Cenomanensis Episcopi, deinde Turonensis Archiepiscopi opera tam edita, quam inedita. Accesserunt Marbodi Redonensis Episcopi ipsius Hildeberti supparis opuscula, etc. studio d. Antonii Beaugendre Presbyteri et Monachi e Congregatione s. Mauri. Parisiis 1708. 4.° magno. Opus allatum habetur a pag. 959. Floruit autem Hildebertus ante primam saeculi XII. partem (n. anno 1057. m. 1134.).

» ceronis, Sallustii aliorumque priscae aetatis eloquen-
» tiae principum, quos Hildebertus adhuc juvenis assi-
» due versaverat, et quorum in hoc tractatu praecipuas
» sententias, ut et ex celebrioribus poetis collegerat, il-
» lum sibi formaverit concisum et elegantem stilum,
» multa paucis disserentem, et bonos sales ubique spar-
» gentem, quem in ejus operibus, sed praesertim in epi-
» stolis mirati sunt hucusque omnes eruditi ». Hoc vero plane innotescit ex simplici codicis nostri inspectione, in quo videre est, verba ipsius auctoris pauca admodum esse et integrum opus ex dictis vel sententiis veterum auctorum elucubratum; nempe *Ciceronis* ex libro de Officiis, *Sallustii*, *Senecae* ex libro praesertim de Clementia, *Boethii* ex libris de Consolatione, *Isidori*, et poetarum *Horatii*, *Terentii*, *Juvenalis*, *Persii* et *Lucani*. Citat etiam semel *Platonem* latine versum, et ex ss. Bibliis *d. Pauli* epistolas, *Salomonem* in Proverbiis, et *Sapientiae* librum. Porro haec auctorum nomina distincto characterum colore in codice exhibentur, atque ubi sua verba Hildebertus interponit, iisdem praemittit vocabulum *Auctor*, distincto pariter charactere. Ita vero refert verba auctorum, ut nonnisi paululum immutata in editis reperias; quod magis servatum est in locis ex poetis desumptis. Atque hoc ipsum, quod in alio codice illa editione memorato, omnino desideratur, praecipuam nostri dotem, nec tamen unam, constituit.

In codice nostro inscribitur hoc opus: *Isagoge ad Moralem Philosophiam*, e contra in editione allata: ***Moralis Philosophia de Honesto et Utili***. Desinit insu-

per his verbis: *Sed rei magnitudo usum quoque et exercitationem desiderat. Explicit liber Moralium.* In nostro autem codice non solum desideratur formula haec postrema, quae operis finem designat, sed ipsum opus mancum esse ostenditur; etenim post illa verba additur locus *Boethii* ex 5. *Consol.* 6. Pros. in fine, nempe: *Adversamini vitio*, ut ait Boethius in libro de Consolatione, *virtutem colite, ad superna spe animos sublevate, humiles preces in excelsa porrigite, quae si rectae sunt, inefficaces esse non possunt; magna siquidem vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, quum ante oculos versemini judicis cuncta cernentis.* Et sic desinit opus.

Textus in codice nostro, ut omittam notas in margine, quae plures habentur, mirum quantum discrepat ab edito nec solum in verbis, sed et in rebus; multo enim auctior est, et quandoque correctior, ut ex specimine exhibendo patebit.

Denique praetereundum non esse censeo hoc opus in nostro codice dicatum fuisse *Henrico I.* Anglorum regi ac Normandiae duci, quod huc usque, ut puto, ignotum fuerat; siquidem in editione citata loco nominis littera R) exprimitur, et in editoris Monito clare legitur: «Quem designet littera R) per quam notat virum » optimum et sublimem, ad quem hunc mittit tracta- » tum; decernere non ausim, nec tamen sine probabi- » litate suspicarer eum esse *Reginoldum* beati Augustini » Monachum, ad quem epistolam xv. libri III. direxit » Hildebertus ». Quod quam falso dictum sit, e codice nostro patet, ubi legitur: *Moralium dogma Philoso-*

pliorum per multa dispersum volumina tuo quidem instinctu, vir optime atque liberalis, Henrice, contrahere conabar. Ad hunc ipsum Henricum scripsit venerabilis Vir epistolas XII. libri I. et XIII. ad XX. libri III. exaratas intra annos 1120—1130., quum jam ita in gratiam Regis ejusdem rediisset Hildebertus, ut tanquam familiaris apud eundem pro amicis suis intercedere posset, ut traditur in hujus Vita operibus praemissa. Praeterea in epistola XX. nuper memorata de hoc opere ad eum Regem sermonem habet, eumque hortatur ad constantiam, fuse et eleganter viri sapientis instituta describens: *Quae instituta*, ait a med. epist., *quum traducibus paginis ad me pervenirent, publicis conspectibus exponenda decrevi, veritus invidiam posterorum, si ea posteris inviderem. Haec igitur illis exaravi, qui nec prosperis reverenter utantur, nec immoti dura pertranseunt*.

Quae quum ita sint, optimum duxi hujusce operis particulam quandam excerpere, ut codicis nostri bonitas majori in luce ponatur. Quum vero ex diuturno examine comperissem partem aliquam congruere cum libello, qui antiquitus *Senecae* tribuebatur nomine: *De Remediis Fortuitorum* et ab aliis *Martino Dumiensi*, dein *Bracarensi* episcopo adscribebatur, quique nuper in Taurinensi Class. Auct. collectione inter Senecae excerpta editus fuit (T. IV. pag. 417—424.), pauca quaedam de industria ex capite quoque de Fortitudine et de Securitate, ad duplicem comparationem instituendam, exscripsi.

Ex cap. de Fortitudine (in ed, p. 975. a lin. 16.).

Ad magnanimitatis officium persuadet Poeta quum dicit: Componite mentes ad magnum virtutis opus, summosque labores. Et alius Poeta: virtus recludens in meritis mox caelum negata tentat ire via coetusque vulgares et udam spernit humum fugiente penna. Haec enim virtus, quum ad aspera ineunda pronum faciat, potius communem utilitatem, quam sua commoda attendit. Sicut enim scientia, remota justitia, calliditas potius quam sapientia appellanda est, sic animus ad periculum paratus, si sua cupiditate non communi utilitate impellitur, temeritatis potius nomen habet quam fortitudinis.

Ex eod. cap. (in cod. ms. pag. 16. retro a lin. 12.)

Avctor. Ad magnanimitatis officia persuadet dicens poeta Lvcanvs (1):

componite mentes
Ad magnum virtutis opus, summosque labores.

Horativs (2):

Virtus recludens immeritis mori
Caelum, negata tentat ire via,
Coetusque (vultusque) vulgares, et udam
Spernit humum fugiente penna.

Tvllivs (3): Haec virtus quum ad aspera ineunda aliquem promptum faciat, communem utilitatem, quam suam potius attendit; sicut enim scientia, quae est remota a justitia, potius quam sapientia est appellanda calliditas; sic animus ad pericula paratus, si sua cupiditate, non communi utilitate impellitur, temeritatis potius nomen quam fortitudinis habet.

Haec virtus torporem sic excitat. Lvcanvs (4):

Tolle moras, semper nocuit differre paratis.

Horativs (5):

Incipe: vivendi qui recte prorogat horam,

(1) 9. 380.

(2) 3. *Od.* 2. 21. Illud *vultusque* variantem lectionem arbitror loco *coetusque*, quod communiter habetur; in codice tamen *coetusque vultusque* legitur.

(3) 1. *Off.* 63.

(4) 1. 281.

(5) 1. *ep.* 2. 41—43. ubi: *qui recte vivendi.*

Idcirco prima sit in hac virtute cautela avaritiae. Non est enim consentaneum, qui metu non frangitur, frangi cupiditate, nec eum, qui invictum se a labore praestiterit, eum vinci cupiditate...... Nil credens actum, quum quid superesset agendum.

Securitatis officium est contra aspera fortitudine solatium dare juxta illud: sperat in adversis, metuit secundis alteram sortem bene praeparatum pectus.

Rusticus expectat dum diffluat amnis, at ille
Labitur et labetur in omne volubilis aevum.

Persivs (1):

Cras fiet. Idem eras fiet, quid? quasi magnum
Nempe diem donas, sed quum lux altera venit,
Jam cras hesternum consumimus: ecce aliud eras
Egerit hos annos, et semper paulum erit ultra.

Huic officium signat philosophus Tullius. Tvllivs (2): Magnanimi sunt habendi non qui non faciunt, sed qui propulsant injuriam. In hac virtute prima sit cautela avaritiae; non est enim consentaneum, qui metu non frangitur, illum cupiditate frangi, nec qui invictum se a labore praestiterit, eum voluptate vel cupiditate vinci...... Lvcanvs (3):

Nil credens actum quum quid superesset agendum.

Nil enim minus decens provectos, quam non pervenire ad ultima.

De Securitate (4)

Avctor: Securitatis est officium contra fortunae aspera solatium dare...... juxta id Horativs (5):

Sperat (in) infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum

(1) 5. 66—69.

(2) 1. *Off.* 65. ubi *non* secundo loco desideratur.

(3) Nondum inveni hunc versum.

(4) In allata editione totum hoc caput, quod *de Securitate* in codice nostro inscribitur, capiti *de Fortitudine* tribuitur.

(5) 2. *Od.* 10.

Informes hiemes reducit Jupiter easque summovet, nec si male nunc, et olim semper erit. Grata superveniet, quae non sperabitur hora.

Contra hanc virtutem sic confligit timor.

Morieris. Securitas: Ista est natura hominis, non poena. Hac conditione intravi, ut exirem. Gentium lex est, quod acceperis, reddere. Peregrinatio est vita: quum multum ambulaveris, redeundum est; stultum est enim timere quod non possis vitare.

Mors ultima poena non metuenda viris. Mortem non effugit etiam qui distulit. Moriar nec primus,

Pectus. Informes hiemes reducit
Jupiter. Idem
Summovet: non, si male nunc, et olim
Sic erit (melius erit).
Grata superveniet, quae non sperabitur hora (1).

Seneca. Contra hanc virtutem sic confligit timor. *Timor* inquit:

(Dialogus inter Securitatem et Timorem)

Morieris.

Securitas. Ista est hominis natura, non poena. Hac conditione intravi, ut exirem.

Timor. Morieris.

Sec. Lex gentium est reddere, quod acceperis.

Tim. Morieris.

Sec. Vita hominis est peregrinatio: quum multum ambulaveris, domum est redeundum.

Tim. Morieris.

Sec. Stultum est timere, quod vitare non possunt.

Tim. Morieris.

Sec. Putabam te aliquid novi dare ad hoc verum. Hoc ago, huc me ducunt singuli dies. Mihi nascenti hunc terminum natura proposuit. Quid habeo, quod indigeo.

Tim. Morieris.

Sec. Lvcanvs:

Mors ultima poena
Non metuenda viris.

(1) 1. *ep.* 4. 14.

nec ultimus. Omnes me antecesserunt, omnes sequentur.

Hac conditione cuncta gignuntur; quod coepit, etiam desinet.

Timor: sed decollaberis. Securitas: Quid refert quam multa sint vulnera? Non potest amplius quam unum esse mortiferum.......

Timor: sed juvenis morieris. Securitas: Optimum est ante mori, quam optes. Haec data diu poena juvenibus, ut etc.

Tim. Morieris.

Sec. Mortem non effugit et qui distulit.

Tim. Morieris.

Sec. Nec primus, nec ultimus. Multi me antecesserunt, multi me sequentur.

Tim. Morieris.

Sec. Hic est finis humani officii.

Tim. Morieris.

Sec. Scio me esse animal rationale et mortale.

Tim. Morieris.

Sec. Nil grave, quod semel.

Tim. Morieris.

Sec. Hac conditione omnia gignuntur, ut quidquid coepit, desinat.

Tim. Morieris,

Sec. Nemo mortalis istud mihi minari potest.

Tim. Morieris, decollaberis.

Sec. Nil refert an celeriter moriar, an paulatim.

Tim. Saepe ferieris, et multi gladii convertentur in te.

Sec. Nil refert, quam multa sint vulnera; unum solum est mortiferum.

Tim. Juvenis morieris.

Sec. Optimum est mori priusquam optes, ut ait Juvenalis: Poena diu viventibus ut renovata *etc.*

Ex libro de Remediis Fortuitorum inter Senecae excerpta l. c. p. 418.

(Conferendus Dialogus p. 91. et seqq.)

Morieris. Ista hominis natura est, non poena. Morieris. Hac conditione intravi, ut exirem. Morieris. Gentium jus est, quod acceperis reddere. Morieris. Peregrinatio est vita. Multum quum deambulaveris, domum redeundum est. Morieris. Putabam te aliquid novi dicere, ad hoc veni, hoc ago, huc me singuli dies adducunt. Nascenti mihi natura protinus hunc posuit terminum. Quid habeo quod indigner? In haec verba juravi. Morieris. Stultum est timere, quod vitare non possis; istud non effugit etiam qui distulit. Morieris. Nec primus, nec ultimus; multi me antecesserunt, omnes sequentur. Morieris. Hic est humani officii finis. Quis sanus exauctorari moleste tulit? Quo transit orbis, ergo transibo; ad hanc conditionem cuncta gignuntur. Quod coepit, et desinit. Morieris. Nihil grave est, quod semel est. Aes alienum meum novi; hoc quidem cum eo creditore contraxi, cui decoquere non possum. Morieris. Dii melius! Nemo hac re melius mortalibus minari potest. — Sed decollaberis. Quid interest, utrum caesim, moriar, an punctim? Sed saepe ferieris, et multi in te gladii concurrent. Quid refert, quam multa sint vulnera? Non potest amplius quam unum esse mortiferum....... Sed juvenis morieris. Optimum est, antequam optes, mori. Juvenis morieris. Hoc unum est, quod aeque ad juvenem quam ad senem pertinet. *Non citamur ex censu, nec exigitur numerus annorum: et adolescentes et impubes eadem fati necessitas ducit. Optimum est mori quum juvat vivere* etc.

FINIS.

INDEX

IN M. TERENTII VARRONIS

SENTENTIAS ET FRAGMENTA.

(Vocabula diverso charactere indicant fragm. graeca)

Aborigines, 215. 218.
Achivi, 167.
Actius, 171. Cfr. p. 21.
Admirantium stupor, 140.
Adolescens corruptus, 64.
Adulationis spectamen, 137.
Aediles. V. Praetores.
Aegyptius, 228.
Aemilius Lepidus (M.) cens., 190.
Aemilius Paulus (L.) cens., 193.
Aeneas, 167. 222. 224.
Aeolia lingua, 223.
Aeolica vox, 225.
Aeolicè, 211.
Aer, aerem captare, 25.
Aetas, aetatem consumere, 31. cum moribus mutare, 81.
Africanus. V. Cornelius.
Alba urbs, 224.
Alexander M., 149.
Alexandrina urbs, 228.
Alieniloquium, 55.
Alienus, alienum est quod auditur, 155. alienis gloriari, 132. ex alienis pendere, 27.
Amicitia, 129. puerilis, 36.
Amicus divitum, 23. amicum experiri, *ibid.*
Animus dantis, 18.
Apennini montes, 215.
Apum mella comedere, 32.
Arcades, 223.
Aristoteles, 149.
Ars extrinsecus una, 165.
Assiduitas continua, 44.
Atilius (M.), 219.
Attineo, 143.
Attius. V. Actius.
Audita meminisse, 134. ex auditis, 47.
Aventinus mons. In eo templum Dianae, 206.
Auris est canale fissum, 101.
Bene meritus, 187.
Beneficium vix datum, 14.
Bonis suis gloriari, 118.
Boum cornua, 206.
Bulla, 211.
Caecilius Metellus Macedonicus (Q.) cens., 199.
Caeculus, 168.
Caere, oppidum Etruriae, 170.
Calamitosus fieri, 23.
Calles sequi, 102.
Canale, 101.
Candidati, 200.
Canis in sacrificiis Herculis nulla, 210.
Capitolinum templum, 219.

Capitolium, 195. 219.
Captiosus disputator, 25.
Capto aerem, 25.
Carinae, locus, 201.
Cassius Longinus (C.) cens., 195.
Censoria fides, 192.
Censorinus V. C. Marcius Censorinus.
Certum nihil, 52.
Cervus, 154. *Cervorum cornua*, 206.
Χαῖρε, 170.
Cispius Anagninus (Laevus), 201.
Cispius mons, unde dictus, 201.
Citra perfectionem, 144.
Claudius Pulcher (Ap.) cens., 198.
Claudius Pulcher (C.) cens., 192.
Cognitionem communem excedere, 80.
Concordiam alere, 37.
Constantia morum, 82.
Contemnere contemptus, 158.
Coratius Antro, 206.
Cornelius Lentulus Lupus (L.) cens., 196.
Cornelius pontifex, 206.
Cornelius Scipio Africanus Aemilianus (P.) cens., 197.
Cornelius Scipio Nasica (P.) cens., 194.
Corporis fortuna, 92.
Cubicus numerus, 185.
Cures urbs, a quo condita, 218.
Curiae, unde nomina habuerint, 217.
Definitiones, 51.
Depidius Caeculus, 168. Depidii pastores, *ibid.*
Desiderata non habita, 151.
Devenio, 102.
Deus. V. Divus. Dei cultus, 43. Dei Penates, 167. Manes, 172. Dii essemus, 1.
Diadema imperiosum, 91.
Dialectica, quid? 188.
Dianae templum in Aventino, 206.
Dico, 24. Dicendi qualitas, 58.
Diffidentia, 28.
Dignus decipi, 119.
Diminutio, 176.
Diminutivum, 176.
Disciplina, 49. gustare, 97. Disciplinarum libri IX. Varronis, 188.
Disputator de verbis, 25.
Dives, 103, 108. divitum amici, 22.
Divitiae, 41. non sunt felices, 136.
Divus et Deus, differunt, 172.
Do rogatus, 15. invite dans, 13. 18.
Doctorem eligere, 59. diligere vel audire, 60.
Dominus sui, 156.
Emendationem (ad) venire, 35.
Enyalius, 218.
Epistolicae Quaestiones, 189.
Equites Flexutes dicti, 166.
Eradere ab animo, 63.
Erechthei ejusque filiarum historia exposita a Varrone, 188.
Erythrae Asiae, 219.
Esquiliarum regio, 201.
Etruriae oppidum Caere, 170.
Etrusca lingua differt a Thusca, 225.

Evagari quocumque, 88.
Evander, 223.
Excellere in singulis, 117.
Exercitatio, 124.
Experimentum, 141.
Exsilium, 204.
Extorquere, quid? 16.
Fabidius. V. Modius.
Faces, in nuptiis quot? 205.
Facio scientem, 48.
Falcula, 173.
Favorem exhibere, 46.
Felicitas, 136. ex comparatione, 104.
Feriae publicae, 212.
Ficus enata, 195.
Fides media opinionis et scientiae, 49.
Filii circa sepulcrum patrum, 208.
Flexutos equites, 166.
Focnus sperare, 17.
Fortuna corporis, 92. De Fort. liber v. Marius. Ei imperare, 20. 93. Fort. sequi *vel* fugere, 19.
Fulvius Flaccus (Q.) cens., 191.
Fulvius Nobilior (M.) cens., 190.
Fulvius Nobilior (Q.) cens., 198.
Galatia seu Gallia, 226.
Galli, 221. 226.
Gallica vox, 225.
Genera (nomin.) unde dicta, 174. 175. Genus principale, 176.
Geometria, unde dicta, 182.
Germiniseca, 173.
Gloriari apud se, 118.
Graeci, 167. *graeca* lingua. V. Aeolia.
Gratiam exhibere, 46. gratias referre, 13.
Hasta, quomodo vocata a Sabinis, 218. 220.
Herculis sacrificia, 210. Hercules, quinam vocati, 178. quot? 179.
Hereditarium putare, 131.
Heres flet, 12. beredes magnifici, 33.
Homo a corpore, 180.
Hostilius Tullus, 201.
Hyperdorius tonus, 183.
Hyperlydius tonus, 183.
Ianus Πoπάνων et Oὐράνος dictus, 227.
Ilium, 167.
Illaborato (ex), 159.
Imaginibus (de) liber Varronis, 224.
Imperiti, 55. glorianter in publico, 118.
Imperitia, 123.
Impossibile, 62.
Improbabile, 152. improbabilium assertio, 79.
Incontingens, 65.
Inconveniens, 65.
Iners inhiat votis, 128.
Ineruditorum contemptus, 158.
Infelicitas ex comparatione, 104.
Ingenium ex inventis, 47.
Inglorium est, 159.
Inimicorum dicta, 61.
Innocentem laedere, 164.
Intelligentiae facilitas, 54.
Invenisse laudabile, 48.
Invidere sibi, 120. propria, 121.
Italicae urbes, 219.
Jupiter, homo, 180. Jovis ara in Capitolio, 195. *Jovis templum*, 219.
Laevus, an praenomen? 201.

Laudem amittere *vel* de se praedicare, 147. referre 47.
Lector, 142.
Lego. Non quot legeris, 94.
Libri scientiarum monimenta, 68. libros inspicere, 66.
Lingua mente nocentior, 114.
Litterae, quot apud Romanos? 171.
Lunaris cursus, 186.
Magis excellere, 130.
Magnificum docere, 75.
Malum duplex, 6.
Manes Dei, 172.
Marcius Censorinus (C.) cens., 196.
Marcius Philippus (Q.) cens., 193.
Marius seu de Fortuna, liber Varronis, 168.
Mars, 218. 220.
Marsicum bellum, 219.
Mefitis aedes, 201.
Meminisse laudabile, 48.
Memoria suscipit, 101. ex auditis, 47. memoriae commendare, 101.
Menstrualis numerus, 182.
Menti inserere, 91.
Mentior, 56. Mentiens, 77.
Mereri plus, 163.
Methodum habere, 45.
Miraculum in sciente, 139.
Miser, 107.
Modius Fabidius, 218.
Mordacitas publicanda, 122.
Mori, 3. 5. *Mortui falso nunciati*, 207.
Mors, 7. Senis (duplex), 8. Mortis timor, 2. 111.
Mos, mores optimi, 82. confirmare, 37. mutare, 81. Morum signa, 109.
Multa, quid? 189.
Mummius Achaicus (L.) cens., 197.
Murus sacer, cur? 209.
Narratorum auditor, 26. 76.
Natura, 5. gaudet varietate, 74.
Negotiari, 69.
Negotiator strenuus, 133.
Neptunus, 169.
Noscere mediocriter, 29.
Notio ignotorum, 150.
Notum nil perfecte, 153.
Novi, 95.
Nullius est, quod multorum, 39.
Numa Pompilius, 221.
Numerus cubicus, 185. menstrualis, 182. De Numeris (opus Varronis), 184.
Oblectamen, 92.
Obstupendus, 82.
Oculus corporeus, 92.
Odibilis, 74.
Odio habere, 129.
Offendiculum quaerere, 144.
Opima spolia, 214.
Opinari contrarie, 65.
Oppius mons, unde dictus, 201.
Oppius Tusculanus (Op.), 201.
Otium ex negotio sumere, 44.
Pales, 177.
Palilia, 229.
Papiria. V. Vapula Papiria.
Patriam suam secum ferre, 40.
Patricius vicus, 201.
Paupercula, 103. monimenta, 68.
Paupertas, 105. 106. paupertatis nomen ex invidia profectum, 104.

Paxianus, in lemm. Sentent. Cfr. p. 21.
Pelasgi, 170.
Penates, 167.
Persicum bellum, 195.
Pessinus, 226.
Phancilla (falsa lectio), 173.
Philippus. V. Marcius.
Philosophia, 91. 138. agitur nobiscum, 30. clamat, 67. renuit fastidientem stomachum, 98. Philosophiae se mancipare, 156. tempus dare *vel* accommodare, 43. Philosophiam odisse, 87.
Planum, quod est, 83.
Pollicitans, 90.
Pompejus Magnus (Cn.), 223.
Pompejus Rufus (Q.) cens., 199.
Ποπάνων, 227.
Popilius Laenas (M.) cens., 194.
Porta, cur non sacra? 209.
Possibile, 135.
Posteri, 34.
Postremus dicas, 160.
Postumius Albinus (A.) cens., 191.
Praemeditatis (ex), 113.
Praetores et *Aediles*, quot facibus utantur, 205.
Progredi ad summa, 158.
Progressus ad divitias, 106.
Prudentia, 84.
Pudicitia, 195.
Puella nupta flet, 12.
Puerilitas in sene, 82.
Pueros cur bullis ornant? 211.
Quaestiones Epistolicae (liber Varronis), 189.
Quiris et *Quirinus*, 218.
Reatinus ager, 215. 218.
Regibus imperare, 93.
Rhetorica, quid? 188.
Ridendus, 82.
Rogatus, 15.
Roma, 201. 216. 228.
Romanorum urbs, 215. *lingua*, 225. *Romani*, 218.
Romulus, 216. 223. *Romuli genesis*, 213.
Romulus, 216. 223.
Rumores recensere, 76.
Rutilius (P.) Tr. pl. 192.
Sabini, 206. 218.
Sacerdotes, quot Romae, 216.
Sapere contra omnes, 11. pro viribus, 161.
Sapiens, 162. gloriatur apud se, 118. quomodo se laudat, 147. multa scit, 112.
Scabere, 181.
Scientiae profectus, 28.
Scientis gloria, 140. Scientes, 72.
Sempronius Gracchus (Ti.) cens., 192.
Senex, 8. addiscit, 157.
Sentio ut pauci, 9.
Servius Tullius rex, 206.
Sibyllini libri, 191. 219.
Sicilia, 207.
Socordia, 127.
Spectacula pulcherrima, 146.
Stomachus fastidiens, 98.
Studia incommoda, 71. intermittuntur, 70. studiorum finis, 89.
Subditio exemplorum, 50.
Suffragator, quinam? 200.
Tacere, 161.
Tarquinius Superbus, 219.
Tarutius Firminus (L.), 213.
Tempus dare *vel* accommodare,

43. ex tempore, 78. tempore uti, 125.
Terentius Varro (M.), omnium facile acutissimus et sine ulla dubitatione doctissimus (*Cic.* incert. *Acad.* libr.) p. 6. peritissimus Latinorum (*Cassiod. Geom.*). 182. πολυπειρότατος, 216. βιβλιακώτατος, 213. πολυμαθέστατος, 223. διδασκαλικώτατος, 221.
Fragmenta ejus habentur ex
 I. Epist. Quaest., 189.
 II. Rer. humanar., 186.
 VII. — — — 200. 201.
 Incert. — — — 166. 226.
 III. de Vit. P. R. 187.
 Incert. De V. P. R. 190-199.
 XIV. Rer. Divinar., 169. 227.
 Incert. libr. — — 219.
 IX. Disciplin., 188.
 II. Histor. *sive* Annal., 167.
 Catamito, 181.
 Geometria, 182.
 Musica, 183.
 Mario *seu* de Fortuna, 168.
 Libr. de Numeris, 184. 185.
 I. de L. L., 223.
 IV. — — — 163.
 V. — — — 225.
 Libris ad Actium, 171.
 Antiquit., 215.
 Incert. libris, 170. 174-178. 205-214. 217. 220-222. 228-230.
 Libr. de Imaginibus, 224.
 Europa? 202.
Thusci, 221. 225. 227.
Tiberis (Θύμβρις), 206.
Transcursus, 96.
Troja capta, 167.
Turba multa, 10.
Tusculani, 201.
Tutus, 202.
Vadatus, 194.
Valerius Messala (M.) cens., 195.
Vapula Papiria, proverb., 203.
Varro. V. M. Terentius Varro.
Vasa capacia, 100. sapiunt *vel* concipiunt, 64.
Veji, 201.
Venilia Dea, 169.
Venus, 230.
Verba dare, 4. Verborum venustas, 85.
Verecundia incut. nemini, 157.
Verum per se lucet, 53. sumere, 86. veri amator, 57. negligentia, 54. vis, 85.
Viam invenire, 88. excedere, 145. vias multas sequi, 99. viae inquirendorum, 73.
Viatores, 126.
Viduae, quando nubant, 212.
Vigor bonus, 21.
Virgines, quando nubant, 212. Veneri dicant, quid? 230.
Virtus, 163. mutat genus, 78.
Viscera, 115.
Vita, 10. Vitae portio, 31.
Vocem formare, 116.
Uranus, Janus a Thuscis, 227.
Vulgus, 42. dum vulg. colat, 110.

Auctores emendati

Plinius (33. 2. 9.) n. 166. nota.
Plutarchus, 207. 214.
Servius (ad Virg. 9. Aen. 696.) n. 166.
Solinus (11.) n. 168.
Vetus Interpres Virgilii, 169.

